



Nr. 63. Q.











Q. D. T. O. M. B. V.  
DISSERTATIO THEOLOGICO-EXEGETICA  
EXHIBENS

# MORTEM MOSIS

ex Deut. c. XXXIV, expositam,

QVAM

IN ILLUSTRACADEMIA IULIA

SUB PRAESIDIO

IO. ANDREAE SCHMIDII

ABBATIS MARIAEVALLENSIS

SS. THEOLOGIAE D. EIVSDEMQUE ET  
ANTIQQ. SACR. P. P. O. SVIQUE ORDINIS SENIORIS,  
PATRONI AC PRAECEPTORIS SVI OMNI PIETA-  
TIS CVLTV AETERNVM DEVENERANDI  
PVBLICAE DISQVISIONI

SVBMITTET

RESPONDENS

IO. IACOBVS MVLLERVS  
AVGVSTANVS.

D. SEPTEMBRIS.

A. O. R. S. M DCCIII.

☞ (o) ☞

HELMESTADII,

---

TYPIS GEORG VVOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.  
ANNO MDCCIII.



MORTEM MOSES

EX. DEUT. C. XXIIII. 28. 29. 30.

QUAM

IN LIBRO M. DE MOYSE

SUB TRACTIBUS

IO. ANDREAE SCHMIDII

ABBATIS MONASTII

IN THEOLOGICO

ANNO SACRI PAULI PAPAE SENIORIS

ALIO FACERETUR

IN CIVITATE

WELLE

38/1111

1711

IO. JACOBI

1711

1711

1711





## IO. IACOBO MVLLERO

SS. Theologiae studioso indefesso, pater-  
narum virtutum æmulo & præsentis disser-  
tationis auctori

S. P. D.

P R A E S E S.

**N**Osti symbolum sigillo *IVLIAE* no-  
stra insculptum: ex forti dulcedo:  
quod si paucis mutarem literis, pro-  
diret illud: ex morte dulcedo: hi-  
storia & scopo Tuo non minus conveniens.  
Terminum enim studiorum Tuorum, in diver-  
sis academiis cum laude gestorum, in morte  
Mosis, figere voluisti, ut ex ea & Tibi &  
aliis oriretur dulcedo. Dulces Tibi jam sunt  
peracti labores, quos in evolvendis difficul-  
tibus horis successivis adhibuisti. Dulce erit  
summe



Summe Reverendo Parenti Tuo, quem omnia  
theologi munera implere expertus scio, filium  
videre philosophum, qui mortem meditatur-  
theologum, qui resurrectionem & alia doctri-  
na capita ductu revelationis asserit, philolo-  
gum, qui hac & illa, regulis bona interpreta-  
tionis instructus, deducit. Dulce denique erit  
patria Tua dulcissima, civem suum, ex cu-  
jus ore melle dulciora eloquia Dei fluent, in si-  
num recipere & de eo gaudere. Quod ergo ex  
morte dulcedo non una nascatur vides! Ut  
aliquando etiam in officio sacro, in quo tot a-  
mara dulcibus miscentur, ex morte, Christi sc.  
morte, cujus memoria nobis nunquam non dul-  
cissima esse potest, unica & constans Tibi pro-  
deat dulcedo, ex sincero pectore roveo. Vale!

Dabam, ut nosti, inter tot alia, Helmestadii

d. XVIII. AVG. A. O. R.

MDCCIII.

Quanta





§. I.

**V**anta sit Mosis, magni olim Israëlitarum ducis, celebritas, vel ex eo patet, quod eius vita & res mirabiliter gestæ, præter sacrum codicem, Spiritus S. instinctu exaratum, non a iudaicis & christianis solum scriptoribus, verum etiam a quamplurimis historicis ethnicis opere memorentur. Quorum omnium scripta si evolvamus, deprehendemus varios, quibus ipsum insignire solent, titulos. In sacris vocatur *איש האלהים* *vir Dei*. (a) Magistri Ebræorum *cor & corticem ipsi inesse dicunt*. (b) Patribus audit: *Dei de proximo arbiter*. (c) Conscriptor arcanorum *creaturæ*. (d) *Mundi nascentis historicus*. (e) A Iosepho salutatur: *Vir, omnium, quotquot unquam fuere, prudentissimus: Imperator cumprimis bonus: Vates qualis nemo alius, ut omnia ejus verba vim oraculorum obtinerent*. (f) Cancellarium Dei Lansius vocat. (g) *Communis prophetarum præceptor, testis typusque Christi, illustrissimus historicorum antesignanus ac magister, legislator præstantissimus, oceanus theologiæ* alibi dicitur. (h) Alio-

A rum

- (a) Deut. c. 33. v. 1. Psalm. 90. v. 12 (b) Casaub. in præfat. in Polyb.  
(c) Tertull. L. de monogam. c. 6. (d) Basil. sel. or. 9.  
(e) Prudent. Hamart. v. 341. (f) lib. IV. Antiquit. c. ult. (g) Orat. I.  
(h) Vid. Greg. Mich: not. in Jac. Gaffarelli curios. not. 50. p. 159.



rum encomia ipsi tributa jam non afferemus. Negari tamen non potest, ea, quæ gentilium historici de eo prodiderunt, multa fabulosa ac falsa continere. (a) Imo nonnulli eorum dicta ejus & facta parvi faciunt, vel vituperant prorsus, ceu ex Strabone, (b) Justino, (c) Galeno &c. constat, cujus scomma: *Mosen multa dicere, pauca probare.*

§. II.

Nos, cum de ejus morte potissimum dicere instituerimus, adeoque de ejus ortu ac vita quædam prælibare necessum habeamus, ductum S. scripturæ potius quam aliorum commenta sequemur. Parentes natus est Moses satis illustres, quippe pater ipsi fuit Amram, filius Caath, Levi filius, Jacobi nepos, uti ex Ex. c. 6, 18. & 20. discimus. Mater fuit Jochabed ex eadem familia oriunda, nempe Amrami uxor & amita. Sororem Mosis Mirjam fuisse appellatam sacræ literæ testantur. Et hæc est, quam ante nativitatem fratris sui de ipso vaticinatam esse narrant Rabbini, Babyl. Megill. f. 14. 1. *Mirjam ante nativitatem Mosis propheta verat, mater mea pariet filium, qui liberabit Israel.* Cum foret natus repleta est tota domus luce. Prostitit pater ejus נשקה על ראשה atque eam osculatus est super caput, & dixit, *adimpleta est prophetia tua.* At cum eum abjicerent in fluvium נשכה על ראשה eam contudit super caput. (d) Vaticinium hoc cum in scriptura locum non habeat, auctori suo relinquimus. Parentibus illis, quos antea diximus, Moses in lucem editus est, quamvis de natali die, mense vel anno non satis constet, tacente scriptura. Quod enim

(a) Vid. quæ ex Artapano adducit Euseb. in præfat. Evang. L. IX, c. 27.

(b) I. 16. (c) I. 36. c. 2.

(d) Vid. Joh. Lightf. H. E. & T. p. 630. in c. X. Marci v. 21.



enim Rabbinī in Seder Olam scribunt, eum A.M. 1368.  
d. 4. septimi mensis Adar hora diei 35. natum esse ἄπε  
29αΦῆς conjiunt.

### §. III.

Recens natum infantem secundum legis divinæ  
placita circumcisum esse nulli dubitamus. Quodnam  
vero nomen ipsi fuerit impositum a parentibus, dictu  
haud est facile. R. Eliezer in Pirke scribit, Mosen a paren-  
tibus vocatum esse *Jekothiel* quo die circumcisus est,  
& præterea propter elegantiam ברו dictum esse. Hoc  
ipso die accepisse nomen *Phaltiel*, vel, ut habetur in Si-  
dra Paralipomenon, *Jamchil*, tradit Isabar Ali. (a) Cle-  
mens Alexandrinus (b) putat nomen *Joachim* eum ac-  
cepisse, alii *Melchi* vel *Malchi* eum vocitatum esse  
perhibent. Ut taceamus reliqua nomina, quæ a sin-  
gulis propemodum ipsius agnatis & affinibus imo ab  
Ebræis quoque & Ægyptiis ei indita perhibet Gaulti-  
nus. (c) Sed hæc omnia sunt incerta. Mosis nomen  
a Pharaonis filia ipsi impositum esse, ex Ex. 2. 10. pa-  
tescit. Vocavit autem eum Mosen ab Ebræo משה (d)  
quia ex Nilo eum extrahi jusserat. Quam etymologiæ  
rationem ipsa subjungit. Et verosimile videtur ipso

A 2

hoc

(a) citante Huet. p. 105.

(b) I. I. Strom.

(c) Vid. Huet. l. c.

(d) Vocem hanc Ebraicam non Ægyptiacam esse ostendit Huet. D. E. p. m. 247  
Equidem Criticorum nonnulli, cum e textu intelligant, nomen hoc a  
Pharaonis filia puella Ægyptiaca ebrææ linguæ, ut verosimile est, ignara,  
infanti exposititio esse impositum, Ægyptiacum illud esse credunt, a *mo*,  
vel *mos*, quod in lingua Ægyptiaca aquam significat, & *yfes* sive *efis*, quod  
est, servatum esse, derivatum. Sic putat Kircherus Prodr. Copt. c. 5. Alii  
vocem משה hebraicam esse concedunt, at ejus impositionem non ad  
filiam Pharaonis, sed matrem referunt, h. m. matrem nimirum, cum addu-  
ceret puerum ad Terutin, dixisse: hic est puer ille, quem ego vocavi  
משה propterea, quia ex aquis משיהו extraxisti eum. Ut ita vox  
משיהו non sit prima, sed secunda persona. Sed difficultates omnes



hoc ejus nomine populi Israëlitici extractionem ex  
Ægyptiacis undis, quæ postmodum ab eo peracta fuit,  
pulchre indigitari.

§. IV.

Prodiit nimirum in lucem Moses fatali illo & cala-  
mitoso tempore, quando rex Ægyptiorum Pharaon, cui  
nomen *Amenophi* fuisse, multi existimant, (a) cruentissim-  
um illud edictum de occidendis & in mare projiciendis  
Judæorum masculis promulgarat. Didicisse fertur hic ex  
sacerdote quodam Ægyptio, satanæ impulsu præfagien-  
te, proditurum aliquem ex Judæis, qui adultior factus,  
Ægyptios valde esset afflictorus, suosque liberaturus.  
Cui malo remedium se invenisse ratus, recens natos  
Ebræorum puerulos e medio tolli jussit. (b)

§. V.

Quemadmodum autem Deus pro inexhausta sua  
sapientia, ac bonitate, ea, quæ decrevit, præclare solet  
exequi, ringente licet satana ejusque affectis, ita etiam  
non passus fuit, admirandam illam populi Israëlitici libe-  
rationem, de qua dudum vaticinatus erat, (c) a satana  
sufflaminari. Servavit enim Mosen ab intentata  
regis cæde immunem, quin rem omnem ita direxit,  
ut in ipsa Pharaonis aula educaretur. Nam cum pa-  
rentes ejus cædem recens nati infantis declinaturi,  
ipsum per integros 3. menses occuluissent, Ex. 2, 2 & ve-  
ro diutius abscondere non possent, tandem ficellæ

facile tolluntur, si locum inveniat Grotii conjectura existimantis, nomi-  
na peregrina adeoque & Mosis nomen, Ægyptiaca voce sine dubio a  
Termuthe prolatum, hebraico sermone a Mose esse expressa Ebræorum  
gratia, in eundem significatum, quem in primæva lingua obtinuerant, cu-  
jus rei exempla plurima suppeditat. Huet. l. c.

(a) Conf. Sallian in Annal. hist. p. 3. T. 2. n. 14.

(b) Joseph. A. J. L. 2. c. 5. p. m. 54. & 57.

(c) Gen. 6. 48. v. 21.



scirpeæ commissum in ripa præterfluentis Nili expo-  
suerunt. Quod ubi factum esset, accidit, ut filia regis,  
in sterili matrimonio vivens, quam *Termuth* seu *Termu-  
thin* appellat (a) Josephus, in ripa fluvii cum ancillis suis  
animi vel etiam lavandi causa ambularet: quæ cum in-  
fantulum in fiscella reperisset, ebræumque cognovisset,  
forma ejus eleganti allecta, undis extrahi & ad se defer-  
ri eundem jubet. Quin sororem matris Mosis, quæ haud  
procul recesserat, fata infantis expectatura, advocat,  
eique ut mulierem quærat, cui puerum alendum com-  
mittat, injungit. Nec mora: hæc statim exposititi  
matrem compellat, advocatque, cui filia Pharaonis  
eum sub spe mercedis obtinendæ alendum educan-  
dumque commendat.

§. VI.

Dubium non est, quin omni cura ac sollicitudine  
filium, luculenta divini Numinis providentia sibi resti-  
tutum, foverit mater. Ablactatum vero in aulam vo-  
cavit Termuht, ibique *in omni Ægyptiorum sapientia eru-  
divi fecit*, (b) *ut verbis & operibus postmodo potens redde-  
retur*. In tanto quoque pretio eum ibidem fuisse Philo-  
& Josephus testantur, ut junioris regis titulo honora-  
retur. (c) Cum autem 40. annorum spatium exple-  
visset, aulam deseruit, *spretisque Ægyptiacis thesauris  
crucem Christi ejusque ignominiam ferre maluit*. (d) Abiit  
itaque ad Midianitas, pastoris munere aliquandiu fun-  
ctus, donec a Deo ad majus opus peragendum in Ægy-  
ptum revocaretur.

A 3

§. VII.

(a) I. 2. Ant. Jud. l. c. c. 5. p. 56.

(b) Act. 7. 22. 23.

(c) Josephus L. 2. a. Jud. c. 5. & 9.

(d) Hebr. c. 11. 25. 26. Conf. è nostratibus ad h. l. Tob. Rungius: c Pontificis  
Alphonfus Tostatus, Pererius. Corn, a Lapide c. 1. §. 5.



Cum enim populus Israëliticus sub onere, quo ab Ægyptiis premebatur, miserrime quiritaret, Deique opem imploraret, hic promissionum suarum memor, Mosi in rubo ardenti comparebat, ipsique mandabat, ut regem Pharaonem adiret, expositoque divino de educendis Israëlitis consilio, pressos in Ægypto fratres ex servitute liberatos in Palæstinam, Abrahamo ejusq; posteris dudum promissam, duceret. (a) Fecit hoc divino instructus præsidio, opusq; tantæ molis, invito licet rege, post multa patrata miracula feliciter peregit.

§. IIX.

Traduxit nimirum gentem Israëliticam per mare rubrum inaudito modo siccatum, salvam, pereuntibus in eo Pharaone & Ægyptiis hostili impetu ipsam persequentibus. (b) In deserto etiam per 40. annos populo præfuit, Deique majestatem contra præfractos feditiosæ gentis mores multis, iisque stupendis patratis miraculis, quæ ipse prolixè recenset, mascule asseruit. Imprimis memorabile est, quod in montem Sinai accitus cum Deo a facie ad faciem locutus fuerit, ac post 40. dierum, quos sine cibi potusque usu exegerat, moram, legem geminæ tabulæ inscriptam acceperit; quam deinde de monte descendens inter horribiles tonitruum ac fulminum fragores populo, arrectis auribus adstanti, solennissime promulgavit. (c) Non parum autem autoritatis ipsi accessit ex singulari splendore, quem ex intimis cum Deo habitis colloquiis, accepissè fertur, cujusque tanta erat vis atque efficacia, ut, cum Israëlita ejus propiorem aspectum ferre non possent מוסר  
i. e.

(a) Exod. c. 3.

(b) Exod. c. 14.

(c) Exod. c. 19. 20. seq.



i. e. velo faciem tegere necessum haberet. (a) An splendoris illius radii in cornuum speciem assurrexerint, quod quidam volunt, nos non definimus. Ast inepti plane sunt Apellæ, qui ambigua vocis קרן, quæ *cornu* & *spendorem* notat, acceptione decepti Mosen cornutum fingunt. (b)

§. IX.

Cætera sanctissimi hujus herois facinora, quæ, si numerum in eas, plurima leguntur, immortalemq; nominis gloriam ipsi conciliarunt, sicco pede transituri ad vitæ finem, quem divina ipsi præstituit providentia, describendum properamus. Deprehendemus autem hunc non minus illustrem, quam ejus vitam fuisse. Nempe, cum Israëlita per varios casus, per tot discrimina rerum jactati ex deserto fere emerisissent, ac palæstinam jamjam essent ingressuri, uno saltem montis jugo ac fluvio Jordane interjacente, ecce! Deo vitæ mortisque arbitro visum fuit Mosi fatalem suam horam denunciare.

§. X.

Verba quibus Deus ipse ad eum usus est Deut. 32, 48-52. leguntur. עלה אל-הר העברים הזה הר-נבו אשר בארץ מואב אשר על-פני ירחו וראה את-ארץ כנען אשר אני נתן לבני ישראל לאחוז: ומת בהר אשר אתה עלה שמה והאסף אל-עמך כאשר-מת אהרן אחיך בהר הזה ויאסף אל-עמיו: על אשר מעלתם בני בתוך בני ישראל כמריבת קדש מרברצן על אשר לא-קדשתם אותי בתוך בני-ישראל: כי מננר תראה את-הארץ ושמה לא תבוא אל-הארץ אשר-אני נתן לבני ישראל: *Locutus est deinde Jehovah ad Mosén, ipso hoc die dicente: Ascende in montem Abarim hunc, montem Nebo,*

*qui*

(a) Ex. c. 34, 29-30. seq.

(b) Tostatus Comment. in h. l.  
A ill. T. 1, Disp. Phil. p. 723.



qui in terra Moabi, quæ est e regione Jerichuntis: Et vide  
 terram Canaan, quam ego daturus sum filiis Israel in posses-  
 sionem: Et morere in monte, quo tu ascendens: ut colliga-  
 ris ad populos tuos: quemadmodum mortuus est Aaron fra-  
 ter tuus in Hor monte, collectusque ad populos suos: Pro-  
 pterea quod prævaricati estis in me in medio filiorum Israelis,  
 ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: Et non san-  
 ctificastis me inter filios Israël. Nam e regione videbis ter-  
 ram: sed eò non venies; in terram quam ego daturus filijs  
 Israël. Mandatum hoc, quod Moses a Deo accepit  
 varia continet. Primum quidem jubet eum ascendere  
 in montanam regionem עברים dictam. Qui tractus  
 erat terræ editioris longe latissimus. (a) עברים autem  
 i. e. transitus vocari videtur mons propterea, quoniam  
 hic Jordanem fluvium transire solebant, Palæstinam  
 salutaturi, vel, quia in montana hac regione variæ erant  
 viæ in circumjacentes terras ducentes. Dilucidius au-  
 tem locum mortis explicat Deus, dum montis Nebo  
 meminit, qui partem hujus montosi tractus consti-  
 tuebat. Et quidem in apicem illius qui Pisga vocatur  
 Mosen ascendere jussum esse, ex Deut. 34. v. i. constat;  
 ויעל משה מערבת מואב אל-הר נבו ראש הפסגה אשר על-פני  
 ירחו ויראהו יהוה את-כל-הארץ את-הנלעד ערדן: Deinde  
 ascendit Moses ex planiciebus Moabi super montes Nebo,  
 caput Pisgæ, versus Jerichuntem: ubi ostendit illi Jehova  
 totam terram, Gileadem usque ad Danem. Terra in qua  
 mons ille eminebat Moabitarum erat. Urbs in con-  
 finio sita, Jericho tota Palæstina longe celeberrima.

§. XI.

Secundum, quod in mandatis Deus Mosis moritu-  
 ro

(a) Conf. Bibl. Crit. p. 1094. b.



ro dedit, hoc erat, ut e vertice montis objectam terram Canaan, ab Israëlitis mox occupandam, oculis usurparet. Hujus naturam, elegantiam, amœnitates, divitias, & id genus alia, sæpenumero a Deo prædicari audiverat Moses, ac idcirco nihil magis in votis habebat, quam ut ocius sibi liceret ejusdem deliciis frui. Quin serio a Deo petierat, ut sibi præperandi & hanc terram contemplandi copia fieret. Deut. 3, 25. *אעברה נני וראיה ארץ החרץ הטובה אשר בעבר הירדן ההר הטוב הזה והלבנון: Transeam, quæso, ut videam terram bonam, quæ est ultra Jordanem, montem bonum, & Libanum.* Sed tum quidem voti sui compos non fiebat, dein vero, divino mandato instructus, eam eminus speculabatur. Et quidem dominus ipsi monstrabat totam terram. Ita enim habent verba: Deut. 34, 1. 2. 3. *Deinde ascendit Moses ex planitiibus Moabi super montem Nebo, caput Pisgæ, versus Jerichuntem: ubi ostendit illi Jeborva totam terram Gileadem, usque ad Danem. Et omnem Naphthali, ac terram Ephraim & Menaschæ; omnem etiam terram Judæ usque ad mare posterius: Item meridiem, & planitiem, & vallem Jerichuntis, urbis palmarum, usque ad Zoar.*

§. XII.

Ex his aliquo modo intelligitur, quam vastus fuerit terræ sanctæ a Mose contemplandæ ambitus. Accuratiorem tamen ejus mensuram exhibet Auctarium Spanhem. Heidmanni Palæstinæ subjunctum (a) his verbis: *longitudo terræ totius* (putata secundum scripturas a Dane, sive termino boreali, ad Berscheba civitatem, sive terminum australem) *Adrichomio est plus*

B

minus

(a) p. 7.



minus milliarium 87. miliaria autem non Romana sive Itālica, quæ M. passuum, quorum singuli pedum V. stadiorum Romanorum IIX. sed Gallica quæ Leucas vocant, leugas leucas singula horæ unius, sive III. mille passuum. Latitudo terræ (putata jam a mari mediterraneo sive ab occidente, & protensa ad Jordanem usque, ubi maxime orientalis est, trans Jordanica regione non comprehensa,) censetur milliarium plus minus XVII. vel XIX. Quamquam latitudinis vix certa dari mensura possit, & trans Jordanica in partem quoque Palestinæ veniat, ubi trium tribuum sedes fuit.

§. XIII.

Quæritur autem hic; utrum Moses terram sanctam tam late patentem e longinquo ita spectarit, ut eò, quo visu potuit, penetrarit, adeoque aliqualem saltem illius notitiam acceperit, an vero & cætera, (quæ in ea erant,) urbes, vicos, vineas, fluvios distincte consideraverit? Quod prius concernit, vero non videtur absimile, Moses, in eminentissimo colle constitutum, tantum saltem de promisso hoc Judæis regno conspexisse, quantum naturali oculorum vi ac virtute assequi potuit: etsi non omnia minima maxima cognoverit. Nec obstat, quod Deus, & longitudinem & latitudinem terræ usque ad extremum mare (mediterraneum) ipsi monstrasse dicatur: vel quod iussus fuerit Moses Deut. 3, 27. ascendere cacumen Phasgæ (Pisgæ) & oculos circumferre ad occidentem, & ad Aquilonem, Austrumque & orientem. Etenim hoc ab eo nihilominus fieri potuit, etsi non omnia, eaque minutissima, accurate cognoverit. Vbiunque terrarum enim in editiore loco steteris, & orientem & occidentem, & australem & meridianam plagam oculis



oculis subijcere, harumque omnium partem aliquam, saltem proximiorē, obtutui accuratiori sistere poteris. Non tamen existimandum est, plane confusam istam fuisse notitiam, quam ex conspectu isto hausit: sed admodum eximiam, eumque oculos ex specula sua satis late circumtulisse opinamur. Præterquam enim quod certissimū sit, dari homines, qui tanta visus acie gaudent, ut remotissima loca observare possint. (vid. exempla ap. Val. Max. (a) quibus recensendis non immoramur.) de ipso Mose quoque relatum legimus Deut. 34, 7. *oculos ejus* (etsi ætate valde esset provecta) *nondum cæcaturivisse*, sed visiva sua virtute adhuc recte valuisse: ut adeo probabile videatur, eum laudata visus sui acie satis vastum Palæstinæ ambitum comprehendisse.

§. XIV.

Posterius tamen plerisque interpretum placet, qui, cum existiment, tantum non esse visus nostri sibi, relictī, acumen, ut terram remotam, multorumque milliarium ambitu distinctam, curatius cernere ac cognoscere possit, quod tamen Moses fecisse videtur, putant, aciem oculorum a Deo peculiari modo ad hoc fuisse elevatam, ut in interiora Palæstinæ accuratissime penetrare, adeoque conspectis ejus opibus atque amœnitate, oculos animumque pascere potuerit. Idem pontificii sentiunt, opinantes vel angelum, vel Deum ipsum ea, quæ post interjectorum montium valles latuerunt, nec videri potuerunt, Mose quasi in tabula contemplanda proposuisse & abstractive cognoscere eundem jussisse. Dubiam hanc rem dirimere nostri jam non est instituti, qui in morte Mosis describenda occupamur.

B 2

§. XV.

(a) L. I. c. II. Ext. §. 14.



§. XV.

Tertio Deus Mofi injungit, ut, post peractam exoptatissimæ regionis perlustrationem, mortem subeat. *Morere*, inquit, *in eo monte, quo tu adscensurus es, & aggregare ad populos tuos*: qua formula uti solet scriptura, naturalem hominis mortem designans. (a) Ad ultimum hunc locum Vatabl. (b) ita commentatur: *Aggregari ad populum suum, est tolli e medio, & adjici popularibus suis jam vita functis*. Causam hujus phrasidis talem assignant Hebræi, quod is, qui moritur, quasi ad totam stirpem suosque majores proficiscitur, ad eos coadunatur, cum eis commoratur, & inter defunctos censetur. Quin idem, seu quod colligi ad populum suum, periphrasis sit mortis, ex eo etiam liquet, quod מות & אסף ut plurimum conjungantur, adeoque posterius sit prioris explicatio.

§. XVI.

Nec mora. Mandatum Dei reverenter habet, nec eidem obnititur Moses. *Ascendit e campestribus Moabitaram in montem Nebo: in verticem illius collis, qui est in conspectu Jerichuntis &c.* Vtrum solus montem conscenderit Moses an vero nonnulli ipsi iverint comites, dubium est. S. scriptura de comitibus ipsius nihil refert, ex quo tamen silentio non statim negative concludendum. Cajetanus sane existimat, magna ipsum populi turba stipatum fuisse: idem Thalmudistæ sentiunt multum fabulis circa hoc indulgentes. Josephus quoque (c) ita scribit, *Moses victus lacrymis (Israëlitarum) suas quoque profudit, amorem testatur in populum, peracta jam processione funebri. Ivit enim post Mosén uni-versa multitudo, inprimis*

(a) Gen. 25, 8. c. 49. 29 Num. 20, 24. (b) in not. Crit. p. 1035. a. (c) L. IV. R. J.







*Domini in terra Moab, ex praestituto Jehova.* Verba  
 hæc etsi tam clara ac peripicua sint, ut cubio vix re-  
 linqui videatur locus, reperias tamen, qui Mosen non  
 vere mortuum, sed alio modo mortalitatem deposuisse,  
 arbitrentur. Varias variorum opiniones, quas Cor-  
 nelius a Lapide studiose congeffit, ex ejus commenta-  
 rio in h. l. afferemus. Ac primo quidem purant ali-  
 qui, eum nec dum esse *mortuum*, sed *translatum*, ut  
 redeat cum Enocho & Elia contra antichristum. Hanc  
 sententiam amplectitur Hilarius (a) Subscribiteidem  
 Joh. Arboreus, (b) Theosoph. (c) it. Catharin. (d) Pro-  
 bant autem hoc (a) ex eo, quod *sepulchrum ejus nullibi*  
*legatur inventum.* (β) ex Apoc. XI, 6, ubi Johannes lo-  
 quens de duobus testibus Christi, qui tempore anti-  
 christi futuri sunt, subjungit, *hi habent potestatem aquas*  
*convertendi in sanguinem & percutiendi terram omni plaga.*  
 Quibus verbis videtur significari Moses, utpote, qui  
 aquas convertit in sanguinem, & percussit Aegyptum  
 omni plaga. Exod. VII, seqq. Sed ꝛ. ad (r) nul-  
 lam prorsus esse consequentiam. Neque enim ex  
 eo, quod sepulchrum Mosi latet, statim conficitur,  
 eum non esse vere mortuum, sed vivum in cœlum  
 esse translatum. Ratio enim, qua Deus permotus, se-  
 pulchrum hoc absconditum ac ignotum esse voluit,  
 longe alia est, ut deinceps dicetur. ꝛ. Ad (β) in al-  
 legato loco Apocalyptico non esse sermonem de Mose,  
 sed ad portenta ejus saltem alludi, & significari, testes  
 illos facinora, qualia Moses fecit, patratos.

§. XIX.

Alios patres, qui idem sentiunt, videlicet, Hie-  
 rony-

(a) c. 20, in Matth. (b) L. II. (c) c. II. (d) in Gen. 3.



ronymum, (a) Greg. Nyssenum (b) & Ambrosium (c)  
 nos jam mittimus, præsertim cum posteriorem hunc  
 fuse refutaverit B. Gerhardus d.l. (d) Neque solum  
 patres in ecclesia christiana ita statuunt, verum et-  
 iam rabbinorum quidam sententiæ huic sunt affines;  
 quos Simeon de Muis recenset. (e) Nos unicum ex  
 Siphre (f) testimonium allegabimus; quod ita sonat:  
 משה לא מת על העמוד ומשמש ברקיע *Moses non mortuus,*  
*sed stans ministrat in firmamento.* Hæc cum scripturæ  
 directè contradicant, emollire ea conatur Abarbanel,  
 scribens, *hoc dicto tantum significari, mortem Mosis non*  
*fuisse privationem & defectum sed magnam perfectionem:*  
*nec de corpore sed de anima intelligi debere, quod in firma-*  
*mento (in caelo) Deo coram ejus throno ministret.* Pari  
 modo memorati superius patres a Corn. a Lap. in  
 h.l. & Janfenio excusantur, quod scilicet mystice locu-  
 ti sint. Hieronymi enim verba, quibus Mosen in cœ-  
 lum ascendisse dicit, ita explicat Cornelius: *ascendit*  
*in cœlum i. e. in cœlestem & perfectissimam vitam & san-*  
*ctitatem.* Eodem modo, inquit, potest Nyssenus explicari.  
 S. Ambrosius vero videtur ludere allegorice suo more & vel-  
 le tantum, quod *Moses fuerit typus Christi, a morte sta-*  
*tim resurgentis, quodque mors Mosis ita in scriptura nar-*  
*retur, ut ipse non tam mortuus quam translatus & immor-*  
*talis fuisse videatur.* Sed quicquid sit de eorum mente,  
 erroneam eam dicit.

§. XX.

Reperiuntur etiam qui putant, Mosen quidem mor-  
 tuum esse, sed statim resurrexisse, ideoque ejus sepul-  
 chrum neminem cognovisse. Sic sentit R. Samuel

Maro-

(e) in c. 9. Amos (b) in vita Mosis. (c) de Cain. c. 2.  
 (d) de sepultura Mosis §. 10. 11. c. 3. (e) T. 2. var. Sacr. p. 128. (f) §. 140



Marochianus (a) Idem fere docet Gagnæus (b) Mo-  
sen quidem obiisse, sed resurrecturum & venturum, ut  
cum antichristo pugnet, conf. Maldonat. (c) qui gemina  
his profert. Rejicit autem ibidem hanc opinionem, utpo-  
te omni scripturæ fundamento destitutam C. a L. & de  
fide esse dicit, Mosen vere esse mortuum. (d) De ipsa ejus  
resurrectione, quæ statuuntur, infra suo loco pluribus  
ostendemus. §. XXI.

Nos, missis aliorum opinionibus, ipsis scripturæ ver-  
bis inhærentes statuimus, Mosen Dei servum vera mor-  
te decessisse. (e) Idque multo argumentorum appara-  
tu potest probari. Sane diserte hoc docet scriptura;  
quando enim Deus instantem vitæ terminum illi præ-  
sagit, eique, ut e statione sua decedat, injungit, *morere*  
inquit. Vox autem מָוֹט nativa sua significatione veram  
mortem, quæ ex animæ & corporis dissolutione oritur,  
importat. Et observant doctores decies mortis vo-  
cabulum in S. S. de Mose usurpari (1) *Ecce appropin-  
quant dies tui ad moriendum.* Deut. XXX, 14. (2) *Et mor-  
tuus est in monte.* Deut. XXXIV. 35. (3) *Ecce morior in  
hac humo,* ait ipse Deut. IV, 22. (4) *Morere in monte,*  
ait Deus ad Mosen Deut. XXXII, 49. (5) *Novi, quod  
post mortem meam inique agetur* Deut. XXXI, 29. (6) *Mo-  
ses 120. annorum erat, quando mortuus.* Deut. XXXIV, 7.  
(7) *Ecce tu dormies cum patribus tuis* Deut. XXXI, 6.  
(8) *jungeris populo tuo, sicut mortuus Aaron frater tuus*

in

- (a) L. de adventu Mess. c. 13. (b) in Libr. XI. Apocal. (c) in c. XVII Matth.  
(d) Conf. Nat. Alex. H. E. V. T. T. 1. ætate mundi IV. Diff. IIX. p. 519. seq.  
(e) de morte etiam testantur, Joseph. l. c. cap. ult. A. J. Philo l. 3. de vita Mosis in  
fine & plures patres; Origenes. Hom. 25. in Num. Greg. Nyssenus de vi-  
ta Mosis. Epiphanius hæref. 64. August. L. XIII. de C. D. c. 11. Enarra-  
tione in Pf 98. Isidorus Hispalensis sive auctor libri de vita & morte  
sanctorum c. 25.



in monte, & appositus populo suo Deut. XXXII, 50. (9) Post mortem Moſis. Joſ. I, 2. (10) *Mofes ſervus meus mortuus eſt*, ait Deus ad Joſuam Joſ. I, 2. Et qui ſepul- tus dici poſſet niſi verè fuiſſet mortuus? Enimvero ne- mo ordinarie ſepulchro inferri ſolet, niſi verè obierit. Ex dictis conſtare putamus, non fictam, non metaphori- cam, ſed veram Moſis fuiſſe mortem, adeoque in ipſa animam ejus a corpore vere fuiſſe ſegregatam.

§. XXII.

Quæritur autem jam porro, quo mortis genere Moſes occubuerit? Nam etiã niſi moriendi neceſſitas omnibus incumbit (a) ea lege natis, ut iterum de- naſcantur, interim tamen non omnes uno eodemq; mortis genere vitam finiunt. Alii lento morbo abſu- muntur, ac lampadis inſtar, cui oleum tandem deficit, ſenſim ſenſimque exſtinguuntur. Alii cita morte oc- cumbunt, ut citius moriantur, quam ſe mori ſentiant. Quid autem de genere mortis, qua Moſes periit, ſta- tuemus? Primum quidem hoc certum eſt, eum neu- tiquam violentas ſibi intuliſſe manus. Nam etſi impera- tiva voce Deus uſus eſt, qua mortem ipſi indixit, מות, in- quiens, *Morere in terra Moab, & congregare ad populum tuum*, tamen idem hoc eſt, ac ſi dixiſſet, *mo- rieris, jam & congregaberis ſive adjungeris populo tuo.* (b) De cætero cum certi quid de mortis hujus genere ſta- tui ac determinari tacente ſcriptura vix poſſit: con- jectandi gloria interpretibus eſt relicta. Et hinc in di- verſas abeunt partes. Non pigebit autem nonnullo- rum tum Judæorum tum Chriſtianorum ſententias re- ferre.

C

§. XXIII.

(a) Ebr. 9, 27. (b) Vatabl. in h. l. vid. Bibl. Crit. T. I. p. 1359, b.



§. XXIII.

Rabbinorum quidam peculiare mortis genus fingunt, quo eum obiisse existimant; nempe נשיקה i. e. osculum. Ita enim legitur in Devar. Rabba. באורה שעה נשקת והקבת ישמתו בנשיקה פה i. e. *ea ipsa hora osculatus est cum Deus, & accepit animam ejus per deosculatorem oris.* Idem legitur in libro de vita & morte Mosis: (a) de osculi morte, inter 103. mortis genera placidissima, sævissima vero angina. Adeoque ex horum mente נשיקה est genus mortis placidissimæ suavissimæque, qua mollior dari non potest. Est, inquit, R. Maim (b) velut *extractio pili ex lacte* i. e. quemadmodum pilus lacti innatans nullo negotio extrahitur, ita per נשיקה anima e corpore sine ullo asperitatis ac doloris sensu educitur. Pertinent huc ea quæ celeb. Wagenfeil. in Sot. (c) affert ממות ושלשה מיני מיתה נבראו בעולם כעולם שכלן תוצאות תוצאות תוצאות בנימטריא הכי הווי קשה שבכלן אסכרה נחמא שבכלן נשיקה אסכרה דמיה כחזרה אנבכא דעמרה דלאחורי נשרא איכא דאמרי כפיטורי כפי ושט נשיקה; כמשהל בניחא מחלכא; i. e. *Nongenta & tria genera mortis reperiuntur: Q. S. E. (Pl. LXVIII, 21.) ad mortem five exitus. Namque literæ verbi prædictum numerum consciunt; inter omnia nullum atrocius est, angina; mitius nullum, osculatione. Cum angina comparari potest sentis, manipulo lanæ (infixus, quem si quis extrahere velit, lanam simul) evellit. (Sic anima quoque, cum hoc mortis genere e corpore educenda est, vim magnam patitur) Alii dicunt, hoc genus fatalis exitus, esse, uti cum rudentes per exigua foramina trahuntur.* (Sunt enim nonnullæ oceani partes quæ navigia clavibus ferreis compacta, haud admittunt; quare tabulas rudenti-

(a) edito ac verso per Gilb, Gaulmyn. Paris. a. 1629. p. 169. & in not. v. 382.

(b) p. 3. more Meyoch c. 31. (c) p. 17. ex Berachot. f. 8. 2.



dentibus colligare oportet, idque fit violentia maxima, dum angustis foraminibus funes crassiores immittuntur, ne cæteroquin perhiatum aliquem, aqua in navim penetret.) *Per osculationem mors, se habet, quasi cum crinem quis ex lacte extrahit.* Ne autem sententiæ hujus patroni frustra hæc dixisse videantur, præsidium causæ suæ in ipsis scripturæ verbis quæerunt, quibus dicitur, *Moses mortuus* על-פי יי *juxta os Domini*, h. e. uti ipsi explicant, *dum ori Dei se amovit.* Ita enim R. Salomon, מוֹתָהּ עַל-פִּי יי *juxta os Domini explicat, ac si esset מוֹתָהּ מוֹתָהּ מוֹתָהּ morte osculi spiritualis elevantis se ad adherendum Deo.*

§. XXIII.

Verum hæc enarrasse est refutasse. Enimvero voces illæ, quibus Moses dicitur mortuus על-פי יי nihil aliud indicant, quam quod animam efflaverit, *secundum verbum Domini*, מוֹתָהּ מוֹתָהּ מוֹתָהּ *juxta LXX. interpretes i. e. quemadmodum Deus ipsi præceperat.* Uti enim מוֹתָהּ in N. T. metonymice designat verbum per os emissum (a) sic quoque vox מוֹתָהּ in V. T. idem notat. Hunc in sensum verba hæc reddunt Vulgatus, Syrus, Arabs, Lutherus &c. Opponi quoque huic Rabbino- rum interpretationi potest paraphrasis tam Onkelosi, quam Hierosolymitana, quarum utraque habet, *juxta sermonem vel decretum Dei.* (b) Idem patet ex locis scripturæ parallelis in quibus על-פי יי & מוֹתָהּ æquipol- lent. Decretum autem hoc, juxta quod Moses mor- tuus, idem illud est, quod Num. XX, v. 12. legitur: וַיֵּן לֹא הִאֱמַנְתֶּם בִּי לְהַקְדִּישֵׁנִי לְעֵינֵי בְנֵי יִשְׂרָאֵל לִכֵּן לֹא תְבִיאֶנּוּ: אֵת הַקֹּהֵל הַזֶּה אֶל-הָאָרֶץ אֲשֶׁר-נָתַתִּי לָהֶם: *Quia non credi-*

C 2

*distis*

(a) vid. Crauf. Phosph. p. 352.

(b) citante Geicero de luctu Ebr. p. m, 51.



*distis in me, ut sanctificaretis me in oculis filiorum Israël: ideo non deducetis congregationem hanc in terram, quam dedi illis.*

§. XXV.

Alios e fynagoga D.D.B. Joh. Ernest. Gerhard. (a) in ea opinione versari dicit, *Mosen in speluncam quandam ingressum se ipsum sepelivisse: quod fere idem esset, ac si sibi ipsi vim intulisset seque occidisset. Verum cum hoc jam supra refutaverimus, plura hic non addimus.*

§. XXVI.

Alii ex verbis Dei: Deut. XXXII, 50. *Morere in monte, quo tu ascendens; ut colligaris ad populos tuos: quemadmodum mortuus est Aaron, frater tuus, modum mortis exculpere satagunt, quos inter, teste B. Pfeiffero (b) est Raschi. Quo autem mortis genere Aaronem hic occubuisse putet, ipse indicat, nempe *Mosen & Aaronem ascendisse in montem, ibique vidisse speluncam a Deo paratam, & in ea lectum stratum, & ante lectum lampadem ardentem, reuelatumque fuisse Mosi, ipsum Aaronem posuisse se in lecto illo, & extendisse manus & pedes, clausisseque os & oculos, Deo postmodum accipiente spiritum in pace, propter quod Moses hoc videns desideravit talem modum mortis, qui & fuerit ipsi concessus a Domino. Hæc unde hauserit, non liquet, certe in scriptura S. nec vola huius rei, nec vestigium apparet. Hæc enim, quando mortem Aaronis refert, nihil aliud dicit, quam quod Deus dixerit ad Mosen: (c) *Aggregandus est Aaron ad populos suos — & v. 25. & 26. Assume Aaronem & Eleazarum filium ejus, eosque jube ascendere in montem ipsum Horem: & exue Aaroni vestes***

(a) disp. de קברת משה c. IV. §. 1. (b) Dub. V. cat. p. 3202. (c) Num. 20. 24.



stes illius, ut induas eis Eleazarem filium ejus, deinde Aaron aggregabitur & morietur ibi. Et v. 28. mortuus est ibi Aaron in vertice montis. Ex quibus omnibus constat, nihil hic de modo & genere mortis, sed saltem de morte ipsa dici, ac proinde, quemadmodum credibile est, Aaronem naturali morte obiisse, sic quoque recte concluditur Mosen eadem ratione occubuisse.

§. XXVII.

Et licet certum mortis genus, quo perierit, determinari non possit, tamen absurdus non videtur, qui statuat, eum, postquam in cacumine montis desideratissimam terram Canaan circumqua; erat contemplatus, subito morbo correptum, supremum diem obiisse. Equidem Corn. a Lap. nihil horum admittere videtur, dum inquit: (a) *mortuus est non ex defectu virium vel ex morbo, sed tantum ex Dei jussu & voluntate: causam allegamus hanc: Validus non ascendit in montem, ibiq; statim defunctus est, Deo nimirum eum dissolvente, animamq; a corpore separante.* Verum enim vero etiam si Moses sanus salvusq; montem ascendit, non tamen inde sequitur, eum ad extremum vitæ halitum sospitem mansisse, adeoque sine omni morbo, qualis qualis etiam ille fuerit, vitam clausisse. Sed fieri potuit, ut imminente, vitæ termino, morbo quodam lethali a Deo sibi immisso repente corriperetur, ac obiret. Neque enim desunt exempla eorum, qui eo ipso momento, quo mente ac mento sani ac robusti deprehensi, lethali ictu a Deo perciti occubuerunt.

§. XXVIII.

Finiit autem vitam postquam ad 120. annos eam produxisset. Ita enim Deut. c. 34, 7. dicitur. וַיִּמָּוֶת מֹשֶׁה בֵּן

C 3

מֵאָה

(a) comment. in Deut. p. 1041. a.



נטוּס עֵרַאט מֹשֶׁה 120. אַנְנֹס כּוּמ  
*Natus erat Moses 120. annos cum  
 moreretur.* Eousque post Mosen nemo vitæ suæ fi-  
 lum protraxit. Narrat Trebellius Pollio (sunt verba  
 Huetii (a) jactare solitos Mathematicorum doctissimos,  
 non amplius quam 120. annos homini ad vivendum  
 esse concessos, etiam illud addentes, Mosen solum, Dei,  
 (ut libri Judæorum loquuntur) familiarem 125. annos  
 vixisse: cui, cum quereretur, quod juvenis interiret,  
 responsum ab incerto ferunt numine, neminem ultra  
 esse victurum. Simile quid habet Josephus, nempe vi-  
 tæ terminum annorum 120. spatio Deum circumscri-  
 psisse post Mosen, qui tantundem vixit. Causa porro  
 hujus querelæ Mosis, de immatura sua morte & fato præ-  
 coco, his videtur inesse verbis Deuteron. Moses 120. an-  
 norum erat, quando mortuus est: *non caligavit oculus  
 ejus, nec dentes illius moti sunt.* b) Putant ergo Judæi,  
 ut ex his patet, Mosen mortalitatem suam lubenti ani-  
 mo, non deposuisse. Easdem nugas reperimus in Rab-  
 bot. (c) Ajunt, *postquam Moses diu deprecatus esset mor-  
 tem, tandem Deum jussisse Gabrielem & post eum Michaë-  
 lem, ut animam Mosis ad se deferrent. Utrumq; vero præ-  
 tentis causis hoc officium detrectasse. Idem, Deum Sammae-  
 lem ablegasse ad hoc perficiendum opus. Illum, conspecto  
 viri splendore, gravi metu percussum & minis a Mose ter-  
 roribus ab incepto desitisse, reque infecta ad Deum rediisse.  
 Iterum cum imprecatione missum; at Mosen ipsum baculo  
 suo, cui nomen in scriptum tam duriter excepisse, ut præceps  
 aufugerit. Tandem Deum ipsum descendisse, ut spiritum a Mo-  
 se auferret, stipatum tribus angelis Michael, Gabriele,*  
 Sagla-

(a) D. E. p. 96. f. 35.  
 (b) f. 302. col. 2. 3. 4.

(b) vid. H. D. F. §. 55. p. 96.



Sagfasele. *Michaelem Mofi lectum straxisse, Gabrielem ipsius capiti vestem byssinam supposuisse, Sagfaselem pedibus pulvinar subdidisse.*

§. XXIX.

Quo autem ab ortu mundi, anno, quo mense, quoque die obierit, ob nimiam interpretum discrepantiam vix licebit determinare. Rabbinorum enim fastos si consulamus, reperiemus, eundem diem, qui ipsi natalis fuit, post exactum vitæ spatium ipsi fuisse emortualem. Sic enim R. Salomo (a) calculum ponit: *Moses natus est die 7. mensis 12. h. e. Adar. Et eodem die post 120. annos mortuus.* Hebræorum fastos sequuntur etiam nonnulli e christianis, in primis Masius (b) Aliter sentit Corn. a Lap. cum Tornellio, qui non 7. sed 3. vel 4. diem Februarii Mosis emortualem esse volunt. Martyrologium vero Romanum obitum Mosis in 7. diem Septembris incidere perhibet. Operæ pretium vix erit, uberiorius hæc examinare, & computum instituere.

§. XXXX.

Postquam de morte Mosis diximus, de causa mortis etiam aliquid erit dicendum. Nimirum, facile patet, gravissimam subesse causam, quæ Deum moverit, ut Mosen, etsi tot tantasque itinerum ac laborum devorassæt molestias, nihilominus tamen ingressu palæstinæ, tot suspiriis desideratæ, prohiberet, morique juberet. Vera igitur causa procul dubio est diffidentiae & incredulitatis peccatum, quod commisit non Moses solum, verum etiam frater ejus Aaron illo scilicet tempore, quo jussi erant è petra elicere aquam. Postquam enim refractaria Israëlitarum gens ob aquæ,

in

(a) in Seder olam.

(b) comment. in Jos. 6. 1.



in deserto deficientis, penuriam & Mosi & Aarone insultasset his verbis: (a) *utinam exspirassemus (contenditque populus cum Mose) ac dixerunt dicendo; utinam vere emortui essemus, quum mortui sunt fratres nostri coram Jehova. Quare enim deduxistis congregationem Jehovæ in desertum hoc ut moriamur nos & pecus nostrum? Imo quare ascendere fecistis nos ex Aegypto ad deducendum nos ad locum malum hunc? non locus feminis aut ficus, aut vitis, aut malogranati, & ne quidem aquæ ad bibendum. Male hoc Deum habuit calidasque in iras conjecit. Mandavit ergo Mosi, ut arrepto baculo comite Aarone populum congregaret, petramque obviam alloqueretur eum in finem, ut aquam emitteret. Fecit quidem hoc Moses petramque in conspectu populi baculo suo bis percussit, quæ divina virtute aperta est, aquamque effudit, Moses autem & Aaronem fratres non credidisse, se ex saxo hoc aquam elicere posse, e verbis Mosi colligere licet, quibus congregatum & prope petram stantem populum allocutus est. v. 10. *Audite nunc, o rebelles, num quid e petra educes aquam?* Irascentium certe, dubitantium ac diffidentium verba hæc sunt, quibus animum impatientem, omnipotentia divinae parum tributentem, miraculorumque ab ipso hæctenus patratorum plane immemorem, satis produunt. Quæ peccata cum sint longe gravissima, Deoq; O. M. in primis exofa, mirum non est, duum viros hocce, Moses & Aaronem, cum iisdem se inquinassent, gravissimam Dei poenam incurrisse, ac propterea ab ingressu palæstinæ esse exclusos.*

§. XXXI.

Veram hanc & genuinam mortis utriusque esse rationem ipse Deus probat, his verbis: v. 12. *Propterea quod*

(a) Num. 20, 3. 4. 5.



quod non credidistis in me, ut sanctificaretis me in oculis filiorum Israelis, ideo non deducetis congregationem hanc in terram, quam dedi illis. Idem ex Pf. 106, 32. seq. patet, Fer ventem iram concitarunt (Israëlitæ) ad aquas contentionis, ita ut male fuerit Mosi super ipsos; quum exacerbantibus ipsis spiritum illis, pronunciaisset labiis suis exacerbationem suam: Qua exacerbatione, quam lingua sua testatam fecit, nihil aliud indicatur, nisi asperæ illæ voces supra memoratæ, in quas in conspectu populi concitato spiritu erupit.

XXXII.

Hæc etsi fati clara sint, aliis tamen alias hujus mortis rationes allegare placet. Judæos si audiamus, illi varias comminiscuntur. Nonnulli, quos inter *Raschi* (a) esse videtur, putant, in eo peccasse Mosén, quod populum sanctum vocarit stultum, dum dixit, מרים שמעונה quod vertunt: *audite nunc stulti*. Sed ineptire eos in confesso est, cum vox מרים non à *μαργς*, sed à *מררה* *rebella-vit*, derivetur, adeoq; non *stultos* sed *rebeller* significet. Alii existimant, Mosén ex alia, quam ea petra, e qua Deus jusserat, aquam elicuisse: quod tamen in textu non dicitur. *Junius* celebris bibliorum interpres contendit, in eo peccatum Mosi latere, quod *virga Aaronis* (hanc enim per virgam in manu Mosi intelligit) petram percusserit, & quidem animo impatiente & perturbato, quã alloqui tantummodo debuisset. Sed facile apparet virgam illam, qua Mosés usus est, non fuisse virgam Aaronis, sed scipionem, ordinarium fere miraculorum organon a Deo ipso ad hoc destinatum, uti ex variis Exodi locis videre est. Sunt etiam

D

(a) teste B. Pfeiffero in dub. Vcx. p. 292.



qui Mosen in eo peccasse arbitrantur, quod petram *bis* percussit, cum *semel* tantum percutere debuisset. Sed præterquam, quod percussio petrae ipsi a Deo directe inuncta non legatur, quamvis eam intendisse videatur, cum baculum fumere iusserit, non apparet, certum ictuum numerum a Deo esse determinatum. Si autem hoc factum non est, Moses non peccavit, dum bis percussit. Et, si ideo Moses puniendus, quod bis percussit, quare Aaron quoque eandem incurrit poenam, qui tamen non percussit? Constat igitur non aliam ob causam quam ob diffidentiae crimen Mosen a Palæstina exclusum & morti destinatum fuisse.

§. XXXIII.

Mortem hominis excipere solet sepultura. Hinc Moses quoque legitur tumulatus. Sepultura ejus Deut. 34, v. 6. his describitur verbis. ויקבר אתו בני בארץ מואב. *Et sepelivit eum in valle in terra Moabitarum e regione Beth Peor.* Locus sepulchri luculenter hic describitur, qui fuit *vallis Moabitarum*. In superioribus diximus, Mosen jussu Dei in montanam regionem *Abarim* dictam se contulisse, & quidem in montem *Nebo*, cujus vertex *Pisga* vocatur. Si autem ea contendamus cum loco Mosis sepulchrali, dicendum forte erit, totam hanc terram, montes & valles comprehendentem, nomen accepisse à Moabo filio & nepote Lothi ex filia natu majore per incestum prognato (a) & terram Moabitarum dictam fuisse.

§. XXXIV.

Masoretæ, lusu indulgere soliti, sepulchrum Mosis in territorio tribus Gad quærunt, ridiculo ducti argumento, nempe propterea, *quia in benedictione tribus*

(a) Gen. 19, 37.



bus Gad, quæ Deut. 33, 20. 21. habetur, omnes alphabeti literæ reperiuntur. Sic enim B. Hackspanius (a) eorum verba ex Baal Hatturim adducit: *In benedictione tribus Gad invenies totum alphabetum, quia Moses magister noster, super quo sit pax, in ejus territorio sepultus est.* Verum hæc contra expressam scripturæ literam fingi quis non videt? Moabitarum vallis ossa megalandri nostri tegit, quæ ibidem e regione domus Peor condita leguntur. Qualis ista fuerit domus ex historia Bileami quæ Num. 23, 28. recensetur, cognoscere licet. *Conduxerat hunc rex Moabitarum Balack, ut gentem Israëliticam diris devoreret; eumque propterea in montem Pisgam secum adduxerat, e regione fani, quod in honorem idoli Baal Peor dicti incolarum, idololatriæ crimine famosissimarum, exstruxerat superstitio.* Hic est locus, qui sepulchro Mosaico commodus ipsi Deo visus.

§. XXXV.

Mensuram hujus sepulchri S. scriptura non definit. Satis amplum tamen illud fuisse tradunt Rabbin. Nungantur hi una cum Muhammedanis, Mosen bis senos cubitos exæquasse, arma bellica decem ulnas longa tenuisse, crinem rufum & crispum habuisse, & sic a Mahummede visum. (b) Hinc cum tam vasto corpore Mosen præditum fuisse statuunt, ingenti quoque & amplo opus fuisse credunt tumulo, ad corpus tantæ staturæ ac molis commode recipiendum. Nec minus Greg. Francisc. Venet. (c) ex literis vocis מן quam locum sepulchri designare putat, & quidem ex מ & מן, quorum altera 10. altera 3. designat, tumuli capacitatem dimetiri videtur, inquit: *Innuitur, sepultum corpus fuisse ex*

D 2

ter

(a) in Cabb. Jud. §. X. p. 290. (b) Schickard. in Tacich. R. B. p. 33. 34.

(c) in problem. sac. T. 1. scđ. 6. probl. 490.



ter denario mensurarum, pietatis & clementiæ Dei, quas depromit ipse Moses, quando existenti in petra Deus ostendit gloriam suam & omne bonum. (a) Sed hæc sunt spinæ tricæque & si quid vilius istis.

§. XXXVI.

Si autem porro investigare velimus, quis eum sepeliverit, non unam deprehendemus difficultatem. Plerique interpretum id negotii ipsi Deo tribuunt, moti verbis supra ex c. 34, 6. adductis. Quando enim ibi vers. præcedente dicitur: *Mortuus est tibi Moses servus Dei in terra Moabitarum ex mandato Dei*: statimque additur: *Et sepelivit eum &c.* Putant, ex ipso verborum nexu sequi, ipsum Deum Mosen humasse. Alii, cum funerationis hujus laborem soli Deo committere vereantur, ab angelis divino jussu eum susceptum esse contendunt. Cum Philone, (b) Epiphanio, (c) Cajetano (d) & aliis hanc opinionem sequitur B. Joh. Ernest. Gerhard. qui (e) ita scribit: *Ut Moses vere mortuus, ita & vere sepultus fuit, & quidem ipsa scriptura affirmante, a Deo: ubi non improbabile nobis videtur, ministerio Angelorum id factum esse. Certum quoque est, Mosis corpus exanime a monte illo in vallem manibus angelicis, ut ita cum S. scriptura loquamur, delatum, ibique ad Dei nutum aperiendi terræ mandatum fuisse & ibi reconditum. Quemadmodum enim Deus ministerio Angelorum legem dedisse dicitur; ita etiam ministerio Angelorum &c. sepelivisse Mosis excurvias, profiteri haud inconcinnum aut minus aptum erit.*

§. XXXVII.

Sunt quoque qui per Josuam id factum esse volunt. Hi enim cum existiment *Josuam & Eleazarem eum conuittatos fuisse*

(a) Conf. Not. in Gaffar. curios. inaud. p. 163. (b) L. 3. de vita Mosis.  
(c) L. 1. Hæref. c. 9, (d) comment. in h. l. (e) in alleg. Disp. c. IV. §. 4.



fuisse in montem ascendentem, credunt quoque ab hoc inprimis post fata sua fuisse sepultum. Nec desunt qui Mosensem ipsum sepelivisse, i. e. specum introivisse, inque ea obdormisse arbitratur. Ita sentiunt plerique Rabbidorum, in primis *Bechai*, *Aben Esra* & *Raschi* qui verba illa supra citata ויקבור ita explicant, *sepelivit semet ipsum*. Adeoque ויקבור h. l. idem quod עצמי esse putant: hancque in rem loca Ezech. c. 34, 6. Exod. 5, 19. &c. in quibus ויקבור pro עצמי positum allegant.

§. XXXIIX.

Nos, qui in tanto sententiarum divortio unumquemque suo sensu abundare facile patimur, putamus, vocem ויקבור non referendum esse ad *subjectum* in versu precedente notatum, sed *impersonaliter* accipi posse, quod Hebræis admodum est solenne. ויקבור und man begrub ihn. Vel sepultura hæc Deo tribui potest, quia ejus jussu ab aliis peracta est. Quæ loquendi ratio in sacris itidem obvia est. (a) Adeoque a veritate abluere non videntur illi, qui statuunt *Josua* imo & *Eleazarem* funerationis cura & labore fuisse defunctos. Cum enim admodum probabile sit, hos Mosensem, cum montem conscenderet, ibique fata sua extrema exspectaret, fuisse comitatos, simul id quoque sit verosimile, hos funeris curam in se suscepisse, eumque post obitum suum humasse. Hi enim cum vivum omni honoris cultu, uti par erat, fuissent profecuti, mortuo sine dubio extremum pietatis officium non denegarunt.

§. XXXIX.

Nec obstat, quod sepulchrum ejus nemini cognitum esse dicatur. Nam etsi *Josua* illud novit, non ta-

D 3

men

(a) Conf. *Glass. Phil. Sacra* p. n. 587. & p. 594. seqq.



men genti Israëliticæ manifestavit. Ut adeo vere dicatur, neminem ex iis locum sepulturæ cognovisse. Causæ autem quæ Josuæ silentium imperarunt, satis fuere graves. Nota erat ipsi *gentis suæ ad cultum idololatricum pro-chrytas*, (a) quam *adoratione vituli aurei in deserto ab ipsa fabricati*, ac deinde *restauracione ænei serpentis* (b) *tempore Hiskie culti satis fecit testatam*. Prævidebat itaque vir sagacissimus plebem superstitiosam, si in memoriam sibi revocaret miracula a Mose patrata ejusque multa ac magna beneficia in se collata, tum quod ipsi Deo adeo in deliciis fuerit, ut eum Deum Pharaonis constituerit, sepulchrum ejus miris modis ornaturam, defunctique ossa divino cultu mastaturam. Huic malo ut ansam præcideret, sepulchri locum prudentissimo consilio latere voluit, ne idololatriæ esset locus. Et latuit illud usque in hunc diem. Equidem reperiuntur, qui illud inventum esse jactitant, sed falluntur & fallunt, adeoque ea, quæ ex 2. Maccab. 2, 35. proferuntur & autoritate Dorothei & Epiphaniï confirmantur, ac si a Jeremia inventum fuerit hoc sepulchrum, merito pro nugis venduntur. Superioris quoque seculi anno 65. certamen existit super Mosis sepulchro inter Maronitas, Græcos, Armenios, Judæos, Franciscanos & Jesuitas, quod singulari quodam fato detectum esse arbitrabantur, sed postea se deceptos esse animadverterunt.

§. XL.

Rem hanc miram fuse narrat Georg. Hornius, (c) cujus summa huc redit: *A. MDCLV. mense Octobri, Maronitæ quidam pastores capras in montibus Nebo & Abarim pascebant; Cumque forte accidisset, ut capræ quadam longius a grege deviantes in profundam vallem descenderent,*

(a) Ex. 32, 4.

(b) 29 Reg. 18, 4.

(c) in hist. Eccl. p. 526.



reversa vero suavem odorem spirarent, pastores deinde capras secuti vallem hanc reperiunt, inque ea carneam suavissimi odoris, in cuius medio sepulchrum saxeam literis quibusdam ornatum. Pastores rei novitate commoti hoc ad Maronitarum patriarcham deferunt, qui cum duos sacerdotes eo misisset, monumentum reppererunt, cui inscriptum. משה עבד יהוה i. e. *Moses servus Domini*: Hoc cum passim in vulgus spargeretur, Maronitæ & Græci & Armenii & Franciscani, inprimis vero Judæi sepulchri hujus custodiam sibi vendicarunt. Sed Jesuitæ arte rem tractaturi magnis muneribus a Turcis impetrarunt, ut sepulchrum & ipse aditus occluderetur; postea vero inita cum Drusis conspiratione sepulchrum clam ingrediuntur, corpus Mosis ablaturi ac in Europam deportaturi: sed dum vacuum tumbam deprehendunt, & quid jam factu opus sit deliberant, mittit Aga Turcarum equites, qui Jesuitas male multatos oppresserunt, sepulchrumque ingenti saxorum mole obruerunt.

§. XLI.

Hæc cum sic gesta essent, multæ inter eruditos quæstiones de hoc sepulchro ortæ. Inprimis rem hanc discutere annisus est doctus quidam Judæus, *Jecomas Ben Gad*, Saphettæ habitans, qui integro libro ostendit, non Mosis, magni istius Israëlitarum rectoris, hoc esse sepulchrum, sed alius cujusdam Mosis, qui multis post seculis floruit, atque hoc pacto scrupulum de recto Mosis sepulchro hominibus iterum exemit. Conjicit autem celeb. Wagenfeilius, fuisse in d. l. conditum *R. Mosen Maimonidem*, quem Judæi tanti faciunt, ut de eo pronunciare soleant משה עבד יהוה כמשה. *a Mose ad Mosen non fuit sicut iste Moses.* Et sane conjectura



jectura hæc admodum probabilis redditur, ex eo, quod plerique consentiant, eum in Aegypto mortuum, ossa vero in Palæstinam transportata esse. Titulum quoq; qui in dicto monumento comparuit, R. Mofi Maimonidi tributum fuisse, constat ex *Schebet Jebuda*, in quo hæc de eo moriente leguntur verba: נרעלה עין כבוד יי במצרים *in altum sublata est nubes gloriæ, Moses servus Domini in Aegypto.* Fieri igitur potuit, ut hic titulus tumulo inscriberetur. Equidem de loco sepulturæ non satis constat inter Judæorum magistros. Interim tamen forte discipuli Maimonidis doctoris sui ossa in valle quadam circa montem Nebo condiderunt, in memoriam Mosis legislatoris, cujus disciplinam posterior hic sectabatur. Quod autem odorem concernit, quem locus hic exhalasse fertur, aromatum copiæ tribuit Wagenfeilius, (a) qua more Aegyptiorum imbutum putat Maimonidis cadaver.

§. XLII.

Hactenus igitur sepulchrum Mosis occultum mansit, id quod ipse forte voluit. Et hoc exemplum forsitan plures imitati sunt, qui sepulchrum suum a nemine cognosci voluerunt. Refert tale quid Petrus Kirstenius (b) ex antiquissimo scripto Arabico de D. Johanne Evangelista, quod nempe hic *Ephesi mortuus & sepultus sit, præsentem discipulo suo Phugfire cui Johannes præceperit, ut non doceret aliquem locum sepulchri, ne videlicet impia superstitio cultus huic loco divinos forte exhiberet, quod tamen Muhammedani in finibus Lybiæ, ubi falso credunt hunc Evangelistam sepultum esse, bodie adhuc strenue facere scribuntur.* Pari modo eandemq;

(a) in Sota p. 326, 327. seq. ubi de hac re fusius agit.

(b) in lih. de vita Evangel.



ob rationem *Antonius Eremita* iussisse dicitur, ut corpus suum in sepulchro nemini noto placide componerent. His verbis discipulos suos allocutus; *Nullus*, inquit, *ad Aegyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore seruetur, ne vituperati ritus a me, ut nostis, etiam circa me seruentur obsequia: hujus enim rei gratia maxime huc sum regressus, ut nemo praeter nos locum tumuli mei noverit.* (a)

§. XLIII.

Illi qui existimant, Deum in sepeliendo Mose ministerio angelorum fuisse usum, provocare solent ad epistolam Judæ, in qua certaminis inter archangelum Michaëlem & diabolum super corpore Mosis gesti fit mentio, inque hac historica narratione sententiæ suæ præsidium se reperisse arbitrantur. Facit illud una cum aliis *Oecumenius*, dum ita scribit: Dicitur *Michael ministerium præbuisse in sepeliendo Mose, id non ferebat diabolus sed accusationem afferebat, Mosen indignum esse sepultura, eo, quod occidisset Aegyptium, eumque sepelivisset in sabulo: Et propterea non permittebat, ut honorificam consequeretur sepulturam. Cum autem in hac controversia Michael haberet occasionem, ut diabolo malediceret propter ejus impudentiam non id fecit, sed id tantum in eum intulit: increpet te Dominus o diabole.* (b) Imo Michaëlem archangelum non tantum sepulturæ Mosaicæ interfuisse, sed etiam eidem custodiam sepulchri in honorem tam incomparabilis in Israële prophetæ a Deo esse creditam idem censet.

XLIV.

Ut autem appareat, quid de loco illo Judæ (c)

E

(a) ap. Corn. a Lap. comment. in Deut. c. 34, p. 1040 b.

(b) Vid. Corn. a Lap. Comment. in Deut. p. 1040. it. Scrar. Comment. in h.l.

(c) v. 3.



δυσνοήτω habendum sit, non abs re facere videbimur,  
 si paulo penitius eum inspiciamus. Sic autem habet;  
 ὁ δὲ μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος, ὅτι τῷ Δαβὲλῳ Δακενόνω  
 διὼ ελεγετο περὶ τῷ Μωσέως σώματι, ὅτι ἐτόλμα  
 χεῖρσιν ἐπιειγκεῖν βλασφημίας, ἀλλ' εἶπεν, Ἰατιμῆσα σου  
 κύριε. *Michael autem archangelus, quum adversus  
 diabolum altercans desceptaret de corpore Mosis, non au-  
 sus est illi impingere notam maledicti, sed dixit increpet te  
 Dominus.* Historicam hanc esse narrationem nō facile pat-  
 tet, ex quo autem libro Judas eam hauserit, disqui-  
 rendum. Ex *traditione* esse desumptam multi inter-  
 pretum tam antiquiorum quam recentiorum existi-  
 mant, quorum sententiam B. Danhauerus scripta su-  
 per hunc locum dissertatione recenset, probatque. Ita  
 enim ille §. 3. inquit: *quemadmodum Paulus nomina ma-  
 gorum Jannis & Jambris ex traditione citat. 2. Tim. 3, 8.*  
*sic quoque Judas altercationem illam Michaelis archangeli  
 & diaboli citasse probabile est ex traditione uni-versali, om-  
 nibusque nota.* Nonnulli, ne Pontificiorum de tradi-  
 tionibus errori aliquid largiri videantur, missa traditione  
 ad *librum* quendam *apocryphum* confugiunt, quem mate-  
 riam Judæ suppeditasse dicunt, ut referret nobis circum-  
 stantias, quas in Deuteron. de morte Mosis non depre-  
 hendimus. Quis vero apocryphus ille sit, autores inter  
 se variant. Schindlerus (a) dicit fuisse olim scriptum,  
 cui titulus משה ושרתו dimissio Mosis, Græce, ἀνάληψις,  
 assumptio Mosis, & contineri in illo, quæ in epistola  
 Judæ de *Mosis corpore* citantur. Ejusdem libri memi-  
 nit Origenes (b) Clemens Alexandrinus (c) Epi-  
 phanius quoq; & Athanasius ad librum hunc provocant.

Ex

(a) in Lexic. pentaglot. sub voce משה p. m. 1041. (b) L. 3. Periarcho c. 2.  
 (c) L. 6. Seroqui vid. Gerh. L. de S. scriptura p. 299.



Ex recentioribus Drusus eandem fovet sententiam. (a)

§. XLV.

Edidit hunc ipsum librum *Gilbertus Gaulmin* Parisiis a 1629. Latio a se donatum notisque illustratum, qui de tribus agit. (1) de gestis Mosis, (2) de ejus morte, & (3) de mystica mortis Mosis significatione. Ut autem constet, quid de scripto hoc habendum sit, judicium *Bartolocii* (b) subjungemus: circumfertur, inquit ille, apud Judæos quidam libellus cum hoc titulo: פטירת משה רבינו עליו שלום *excessus Mosis magistri nostri, super eum sit pax*. In eo fuse describitur ejus, mors, sed Talmudicis fabulis adeo referta, ut si omnes in hoc loco referre voluisssem, totus libellus interpretandus esset, quod fieri non posset, nisi tædio lectorem afficerem, ac bilem eidem excitarem. Summa eorum, hæc est: Moses renuit mori, & ne morti tradatur, quamplurimis, sed ineptis, vanisque rationibus Deo, id persuadere studet. Nihilominus putat Rivetus ex hoc libro Judam historiam, quam diximus, depromfisse, quia in eo hæc de contentione Michaelis & Sammaelis leguntur: *Sammael Damonum princeps ad omne momentum paratus stabat, expectans cum gaudio, quando Mosen occideret. At Michael Israelitarum tutela scelesti letitia offensus sic eum lugens compellavit: Nequam ego lugeo, tu rides:*

§. XLVI.

Sed fabulosa & Judæ verbis contraria hæc esse, quis non intelligit? Refert libri autor, Sammaelem paratum fuisse ad occidendum Mosen, sed quid juris habuit fatanas in Mosen fidelissimum Dei servum? Dicitur porro Michael, per quem sine dubio angelum bonum intelligit, luxisse mortem Mosis. Sed quo-

E 2

modo

(a) Præterit. L. IX, c. 39. (b) in bibl. Rabb. p. 217. 218.



modo luctus cum perfectissima beatitudine, in qua lætissimi illi spiritus constituti sunt, consistere potest? Inservire hi in scriptura dicuntur animabus piorum in Abrahæ sinum promptissime & cum gaudio deportandis, non lugere pie defunctos. Et qua de re hic contentio? certe non de *corpore* Mosis, ut Judas ait, sed de ejus *morte*: Apparet itaque ficta esse, quæ de præfenti negotio in libro illo traduntur, nec cum Judæ apostoli dictis congruere. Neque adeo credibile est, eum ex libro tot fabulis referto exemplum ad corrigendos hominum mores deprompturum & epistolæ suæ inserturum.

§. XLVII.

Qui vero Judam, ea, quæ allegat, ex traditione quadam hausisse putant, infirmum huic rei substernunt fundamentum. Si enim hæc historia per *traditionem* ad posteros propagata est, aut dicendum erit, populum Israëliticum certamini illi inter Michaëlem & satanam instituto affuisse tanquam spectatorem, spiritusque corporibus vestitos oculis vidisse eorumque contentiones auribus percepisse, ita ut deinceps rei hujus gestæ notitiam ad posteritatem transmittere potuerit, quemadmodum ea, quæ de *Janne & Jambre* in N. T. recensentur in conspectu totius populi gesta sunt, adeoque posteris facile potuerunt tradi; aut fatendum erit hanc mortis Mosaicæ circumstantiam prophetæ cuidam a Deo peculiariter *revelatam* fuisse, qui eam, cum scripta non existeret, per manum traderet posteris. Sed quicquid statueris, erit ambiguum. Prius vix est credibile, cum talis visio quæ prophetarum propria erat, toti alicui populo nunquam contigisse legatur: nec posterius







dium operamque ad urbis cultusque refuscitationem conferebant. (a) Sed quæ malevolorum solet esse invidia, primores Persarum Palæstinæ ac Samariæ præfecti Bislam Mithredat ac Tabeel, Judæis resistebant, scriptisque ad regem literis, in quibus Hierosolymorum restaurationem serio dissuadebant, totum negotium hac quidem vice sufflaminabant.

§. XLIX.

Non tamen spes omnis decollabat. Nam anno II. Darii Regis Persarum, prophetæ Haggai & Zacharias instinctu Dei populum iterum laceffebant, ut templum reædificaret. Atque ut dictis eo lubentius morem generet, Zacharias ad visionem provocabat, per quam Deus ipsi significaverat, adversarios, si mollibus verbis excipiantur, (b) nihil amplius contra Judæos molituros, sed urbem templumque suo nitori mox iri restitutum. Hanc visionem propheta principibus populoque (b) significavit, eosque procul dubio commonefecit, ut, si in suscepta urbis templique restauratione iterum a Persarum proceribus terræ præfectis impeterentur, conviciis eos non proscinderent, sed Deo negotium vindictamque committerent. Sic enim fore, ut negotium feliciter absolveretur. Audientes Israëlitiæ dicto prophetæ opus magnæ molis aggressi sunt, improboque labore brevi temporis intervallo perfecerunt. Et cum interea Thathnai & Schethar-Bosnai regis Persarum ad regendam tum temporis Judæam legati cum Serubabele & Josua iterum contenderent, dicentes; *quis contulit vobis jus domum istam ædificandi? & murum hunc perficiendi?* mollis-

lissime

(a) Esdr. c. I. & II.

(b) Esdr. c. V. 1.



sime illis responderunt, nullis admixtis convitiis, cetera  
apologia ipsorum Esdr. V, 2. & seq. docet.

§. L.

Ad ea, quæ hic gesta sunt, Judam in epistola sua  
respicere nos nulli dubitamus. Refert enim & ille con-  
tentionem Michaëlis archangeli & diaboli super cor-  
pore Moïsi, huncque archangelum Michaëlem non  
convitiis rem suam egisse sed vindictam soli Deo com-  
mississe, his usum verbis: *inrepet te Deus*. Et licet  
alter horum locorum alteri non iisdem verbis respon-  
dere videatur, tamen sensus est idem, quod ut diluci-  
de ob oculos ponatur, scopus apostoli Judæ probe est  
considerandus.

§. LI.

Reprehenderat nimirum ille præcedenti versu 8.  
impium eorum morem, qui magistratum, quos *δδζαε*  
vocat, jugum iniquissimo animo ferebant & nil nisi con-  
vitiis ac blasphemias in eos eructabant. *Gnosticos* autem  
intelligi putat *Hammondus* notis ad h. l. propterea,  
quoniam hi doctrinam de libertate christiana eousque  
extendisse dicuntur, ac si ipsi eadem fruentes omnium  
rektorum ac dominorum imperio essent exemti. *Cle-  
ricus* autem hunc corrigit, & forte rectius opinatur,  
Judam h. l. redarguere ipsos *Judeos*, qui Romanis ad-  
modum infensi, negabant homini Judæo cuiquam ser-  
vire præterquam Deo, quem solum Dominum ac Re-  
ctorem vocabant. Et sane hanc fuisse sententiam  
quartæ sectæ Judæorum, quam Judas Gaulonita con-  
didit, Josephus (a) docet, qui de iis ita loquitur  
*πῶς ἄλλοι πάντα γνώμη τῶν Φαρισσαίων ὁμολογεῖσι, δυσκίνητοι  
δὲ τῶ ἐλευθέρῳ ἕως ὅτιν ἀυπῖς, μόνον ἡγεμόνας, καὶ δεσπότην τῶν  
θεῶν*

(a) L. XII, c. 2. A. Jud.



θεὸν ὑπελιφίσσιν. Θανάτων δὲ ἰδέας ὑπομῆσθαι παρηλλαγμαίνας  
ἐν ὀλίγῳ τιθέντας, καὶ συζενῶν τιμωρίας, καὶ φίλων ὑπὲρ ἑ  
μηδένα ἀνθρώπων προσαγορεύειν δεσποτῆν: i. e. hi cetera cum  
Phariseis consentiunt, nisi quod constantissimus est illis liber-  
tatis amor, cum solum Deum sibi existiment esse dominum ac  
rectorem. Varia mortis genera subire exiguum ducunt, ut  
ἔς ἁρνας consanguineorum ἔς amicorum, modo ne ullum  
hominem dominum vocent. Hanc doctrinam a multis  
Judæis libenter susceptam addit Josephus. Et cum ex  
his nonnulli ad christianam ecclesiam transferint, mi-  
rum non est, si errorem hunc secum attulerint.

§. LII.

His ergo ut obviam eat apostolus, ostendit illis,  
quam indignum sit blasphemias conjicere in eos, qui  
magistratum gerunt, etsi forte christianos persequantur:  
adducitque exemplum factis ipsorum oppositum; nempe  
Michaëlis summi Judæorum principis, a Deo ad restaura-  
tionem Solymæ missi, qui licet a Persarum proceribus,  
magistratum in Judæa gerentibus, vehementer premeretur,  
& in hoc negotio impediretur, tamen a convitiis abstinuit,  
Deoque vindictam commisit. Argumentum igitur Apostoli  
ab illius hoc exemplo petitum tale est: si Michaël  
Judæorum princeps, Dei ad reipublicæ Judaicæ restau-  
rationem promovendam legatus, in hoc negotio non  
impugnavit magistratum sibi adversum, eumque convitiis  
non laceravit, sed vindictam Deo commisit, nec vos decet  
Romanorum magistratus vobis præfectos blasphemias  
ac convitiis onerare, quantumvis forte vos premant,  
ac persequantur. Jam vero Michael magistratum  
Babylonicum in negotio reipublicæ Judaicæ



daicæ restaurandæ sibi adversum non impugnavit,  
nec conviciis laceffivit. Ergo.

§. LIII.

Hæc quod optime quadrent, nonnulli interpretum  
probe observarunt, quamvis alii obscurius, alii clarius  
rem explicent. Certe venerabilis Beda utriusque loci  
harmoniam innuit, quando, Zachariæ visionem expen-  
dens, ita scribit. (a) *hoc in loco facillime intelligitur: quod  
Jesus sacerdos desiderabat populum Israël, de captivitate  
Babylonia liberari, atque ad patriam terram redire. Resi-  
stebat autem illi satanas, nolens Dei populum liberari, sed  
magis hostibus & gentibus mancipari; ideoque illum angelus,  
qui populi adjutor erat, increpabat, atq; injuria ejusdem po-  
puli removebat. Sed quando de Moysi corpore contentio-  
nem cum diabolo Michael habuerit, incertum habemus. At-  
tamen non desunt, qui dicant eundem Dei populum Moysi  
corpus appellatum, eo quod ipse Moses illius populi portio  
fuerit: ideoque Judas, quod de populo factum legerat, recte  
de Moysi corpore factum dicere possit. ὁμόψητος huic est  
Hammondus, qui itidem hanc historiam de controver-  
sia angeli cum diabolo ἐπὶ τῷ μωσῆος σώματι e Zach.  
c. 3, r. 2. desumptam dicit probatque. Sequitur hunc Joh.  
Verryn. (b) qui, cum varias variorum circa obscurum  
hunc Judæ locum sententias recessisset, tandem addit:  
at nescio quomodo mihi hic arridet interpretatio Junii &  
Hammondi doctissimorum S. scripturæ interpretum, quam  
iste tum in notis ad h. l. tum in parallelis, hic vero in notis ad  
Anglicam N. T. paraphrasin nobis suggessere.*

§. LIV.

Ulterius progreditur Clericus, (c) cujus verba, etsi pro-  
lixiora,

- (a) comment. in ep. Jud. p. 757. (b) in ep. Judæ Cath. comment. p. 62. 63.  
(c) in animadversionibus suis ad Frid. Hammondi paraph. & adnotat. in h. l.  
p. 429, & 430.



lixiora, adscribere necessum ducimus: Verba quæ Mi-  
 chaeli tribuuntur, cum ea ipsa sint, quæ leguntur Zach. 3,  
 v. 1, 2. ad eam visionem alludi merito cum aliis interpreti-  
 bus existimavit Hammondus. Cumque angelus illic disce-  
 ptaffet cum adversario, de instauratione reipublicæ populi  
 Ebraei, consequens est, ut hic significetur vocabis *שׂוֹמְרֵי*  
*מִצְוֹתָיו*; corpus Mosis apud Judam, quam locutionem desum-  
 fit Judas ex usu apostolorum, qui solebant vocare populum  
 christianum corpus Christi. — *שׂוֹמְרֵי* autem quibus angelus  
 maledicere noluit, alii quidam sunt, nec satan Caco demonum  
 principem significat. Si consulamus historiam temporum, ad  
 quæ respicit oblata Zachariæ visio; comperimus præfectos  
 Persarum, qui præerant provinciis ad occasum Euphratis  
 sitis, vehementer adversatos esse consilio Jesuæ, de in-  
 staurando templo. Eorum principes erant, Thatthenai &  
 Schetharboznai, quorum molitiones ac calumniæ memo-  
 rantur Esdr. c. 5. Hæc oblata sunt Zachariæ Prophete in  
 visione, ex qua intellexit, graves quidem fuisse inimicos Ju-  
 deorum, apud regem Persarum, sed Deum ministerio ange-  
 lorum eorum calumnias infringere. Satan ergo sunt That-  
 thenai, & Schetharboznai, alique adversarii Judeorum,  
 qui sub persona unius accusatoris oblata sunt prophete. Sic  
 loco Pl. 109, 6. Satan stans ad dextram est manifesto accu-  
 sator, eaque voce passim adversarius qui vis significatur,  
 qui consilia cuiuspiam irrita facere nititur. Hoc ipsum si-  
 gnificat vox *שׂוֹמְרֵי* qua utuntur LXX. interpretes.  
 Nam *שׂוֹמְרֵי* est æque adversari ac calumniari. Idem  
 autem qui satani apud Zachariam & hic diabolus, erant *שׂוֹמְרֵי*,  
 sive magistratus e Perside missi, ad regendam Syriam, aliosq;  
 tractus ad occasum Euphratis, qui Persarum regiparebant;  
 qua de causa, qui hoc in versu designatur voce *שׂוֹמְרֵי*,  
 iidem



idem, in antecedente & apud Petrum, dicuntur dicta. Cum autem in disceptatione angeli cum iis hominibus, quæ extat apud Zachariam, inducatur angelus, modeste increpans inimicos Judæis Persarum præfectos, propter magistratum, quem gerebant; hinc merito collegere Petrus & Judas male facere Judæos, qui conviciabantur Romanis præsidibus, qui eodem tunc temporis loco erant Judæis, ac olim fuerant Persæ. Hæc interpretatio multo mihi simplicior, historiæque & rebus ipsis convenientior videtur, quam ceteræ omnes. Nec dubito quin, temporibus apostolicis, vulgo Judæi sic locum Zachariæ interpretarentur.

§. LV.

Eandem sententiam amplectitur *Celeberrimus Dn. Brand. Henr. Gebhardi Or. Lingv. in Acad. Grypsvvald. Prof.* qui in commentario suo in epistolam Judæ, fragmento Dorischæano adjecto, dicit: *Locum in v. 9. allegatum quidam ex apocrypho scripto, quidam vero ex Zach. c. 3, I. 2. depromptum esse censent. Nos posteriorem sententiam sequimur, ne vel detrabere canonicæ hujus epistolæ auctoritati vel apocrypho scripto adducto, canonicam affricare videamur veritatem, siquidem hoc inter alia canonici scripti testimoniæ ponunt nostrates, quod allegatur a Christo & apostolis.* Uberius deinde circa vexatum hunc textum dubia copiose & expeditissime soluit, argumentis gravissimis evincens, locum hunc Judæ ex Zach. c. 3, I. 2. necessario debere explicari.

§. LVI.

Conspirant hi omnes in eo, quod Judas in præfenti loco ad dictam historiam Judaicam respiciat, sed in explicandis circumstantiis non omnes consentiunt.



Primum quidem quod *corpus Mosis* attinet, figurate illud exponunt omnes, afferuntque, per illud ipsam *republ. Judaicam* denotari. *Grossius* diserte dicit, per *corpus Mosis* h.l. non intelligi illud quod in monte *Nebō a Deo sepultum est*, sed de quo *Moses vaticinia varia edidit*, quodque *variis sacrificiis, ceremoniis ac figuris profiguravit*, *cujus antitypus fuit Josua sacerdos. Corpus illud & Mosis est & Christi: Mosis quidem, quatenus iste de eo prophetauit, oraculis, figuris, sacrificiis. Christi vero corpus appellatur, Col. 2, 17. quatenus in Christo est complementum Mosaicorum vaticiniorum, typorum, sacrificiorum.* Magis autem ad rem faciet, si dicamus per corpus Mosis ipsos Judæos intelligi. Hæc explicatio cum antecedentibus optime congruit, & in S. scriptura firmum ac solidum habet fundamentum. Quemadmodum enim ecclesia christiana passim dicitur *corpus Christi*. (a) Ita ecclesia Judæorum pari ratione *corpus Mosis* vocari omnino potest. Et ita sane vocatur. Quando namque *Onias* pontifex orasse dicitur *pro corpore Judæorum* (b) nil aliud indicatur quam quod *pro republ. Judaica* oraverit. Facere huc aliqua ex parte possunt, quæ in *Jalk. Chald.* (c) leguntur: *In principio Israëlita similes erant corpori, cujus alæ erant Moses & Aaron. His alis volabant instar columbæ. At in captivitate Edom, cum Moses fidus pastor inter ipsos quiescit servitute gravi pressos, similes sunt corpori alis plane destituto. At Deus dabit ipsi alas, quibus volent ex captivitate. Hæ autem duæ alæ erant duo Messias, Messias Josephides, & Messias Davidides. Item Jalk(d)*  
*Totus*

(a) 1. Cor. XII, 20. 25. 27. Eph. I, 23. IV, 12. 16. Col. I, 18. Jacobi III, 2.

(b) 2. Maccab. XV, 12. (c) fol. 132. col. 2. (d) 15, p. 179. 4.



Totus Israël unum constituit corpus, unusquisque autem ex  
Israële membrum particulare est.

§ LVII.

Porro inter laudatum Dn. Gebhardum & Cleri-  
cum de eo convenit, quod per  $\Delta\delta\beta\omicron\lambda\omicron\iota$ , quem Judas  
corpori Mosis insultasse dicit, & per satanam, ad de-  
xtram Josuæ stantem, ut est in visione Zachariæ, in-  
telligantur ipsi illi Judæorum adversarii, qui restaura-  
tionem urbis templique omnibus modis impedire fati-  
gebant. Et sane vox  $\Delta\delta\beta\omicron\lambda\omicron\iota$  a græco  $\Delta\delta\beta\alpha\lambda\lambda\omicron\epsilon\omicron\delta\chi$  o-  
riginem trahens proprie quemvis calumniatorem vel ad-  
versarium denotat, qui consilia alicujus irrita facere  
nititur; sic appellative sumitur vox  $\Delta\delta\beta\omicron\lambda\omicron\iota$  in S. scri-  
ptura (a) Petrus vocatur *satan* (b) H. I. autem  
vocem *diaboli*, proprie sumi, nec *angelum damnatum*,  
ut plerisque videtur, sed *adversarium*, & quidem  
talem qui *magistratum gerit* significare, contextus ver-  
borum docet. Nam talis intelligitur, qui blasphemis  
conviciis non est petendus. Id autem de diabolo dam-  
nato spiritu non erit dicendum. Nam cum ille a facie  
Dei in æternum opprobrium sit abjectus, nullus ipsi  
honor, nulla reverentia, sed mera convicia & execra-  
tio debentur tanquam omnis blasphemiam auctori. Et  
male non aget, qui ipsi male precatur. Commodis-  
sime igitur hic per subiectum a quo  $\beta\lambda\alpha\sigma\Phi\eta\mu\iota\alpha\varsigma\ \kappa\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$   
prohibetur, intelligitur *persona magistratum gerens*, nam  
talis cum ecclesiam Dei infestat, sacrumque Dei cul-  
tum impedit, imo eos, qui hunc promovere student,  
acriter objurgat,  $\Delta\delta\beta\omicron\lambda\omicron\iota$  nomine merito notatur.

F 3

§.LIIIX.

(a) v. c. Joh. V. 70. conf. Eph. IV. 27. I. Tim. 3. II. 2. Tim. 1. 3. Tit. 2. 3.  
(b) Math. 16. 23.



§. LIX.

Deinde, quod per *ἀγβολον* h. l. non alius, nisi persona magistratum gerens, intelligatur ex 2, Petr. 2, 11. colligitur. ubi dicit; *ἄγγελοι ἔφρασαν κατ' αὐτῶν (δοξῶν) ἐξ ἧς κερῶ βλάσφημον κείον* i. e. *angeli non ferunt adversus eos (magistratus) præter dominum maledicum judicium.* Qui locus, quod nostro sit parallelus, eodemque quo Judas respiciat, probat Clericus in notis in h. l. Dn. Gebhardi l. c. & alii. Adversarii autem isti, quos diaboli nomine appellavit Judas, sunt iidem illi, quos supra Judæis reip. suæ restitutionem urgentibus restitisse diximus, nempe Thathenai & Schetharboznai.

§. LIX.

Unicum superesse videtur in quo diffident laudati hi interpretes, nempe in eo, quis per Michaëlem Archangelum designetur? Putat cum Junio, Hammond & aliis Clericus, angelum quendam a Deo creatum per eum significari, & quidem primarium aliquem ex horum ordine, qui Michael dictus, pro electo Dei populo excubias egerit, Cyrique in Judæa Pro-Regibus, urbis templiq. restorationem a Judæis ceptam impedi-entibus, mascule resistit. Dn. Gebhardi vero *ipsum Christum* per Archangelū Michaëlem intelligi autumat, multisq. id rationibus stabilire conatur. Sed si dicendum, quod res est, nec angelus, nec Christus h. l. per illum videtur denotari. Supposito enim & concessō, quod per adversarios Judæorum *Rechum, Thathenai & Schetharboznai Saneballat*, intelligendi, qui cum Serubabele & Josua aliisque, restorationem templi molientibus, litigaverint, certe invisibilis spiritus intelligi vix poterit, qui Judæorum causam agens, adversantibus istis *Perfarum*



farum coram proceribus repugnaverit, verbisq; verba  
opposuerit. Id enim si factum esset, Esdras & Nehemias  
diligentissimi historici, silentio illud non præteriissent.  
Nihil autem illi de angelo ejusmodi referunt, sed hoc  
uterque asserit, Serubabelem populi Judaici curam e-  
gisse, eumque una cum Josua sacerdote summo frau-  
dulentas maledicorum hostium machinas feliciter de-  
pulisse.

§. LX.

Et hinc absurdum forte non fuerit, ipsum hunc  
Serubabelem Judaicæ gentis principem, ejusque pro-  
tectorem fortissimum pro Michaelē habere, præsertim,  
cum in hunc optime quadrent omnia, quæ de Michaelē  
archangelo dicuntur, sive temporis, personæ, loci vel  
negotii circumstantias, sive agendi modum observemus.  
Is enim est, qui statim primis Cyri annis facultatem ab  
ipso impetravit in Judæam revertendi, & rem Judai-  
cam restituendi. Imo hanc ipsam ob causam a Cyro  
una cum Josua in Palæstinam mittebatur. Porro Mi-  
chael ille tanquam princeps autoritate ac potestate præ-  
ditus describitur, utpote qui Perfarum proceribus se  
opponere sustinuerit, idem de Serubabele rectissime af-  
firmaverimus. Vocatur enim Dan X. v. 13. אהר השרים  
הראשנים *unus ex principibus primariis Judæorum*, ac ipse is  
prædicatur, quod solus pro republ. Judaica, e captivitate  
in libertatem asserenda, omnem lapidem moverit, victo-  
riamque reportarit. Idem titulus ab Esdra & Nehemia  
ipsi tribuitur, idemque negotium ab eo feliciter expedi-  
ditum laudatur. Denique, quod de Michaelē Judas  
affirmat, eum cum adversariis suis verbis contendisse  
(*Διακρινόμενος διελύγετο*), hoc Serubabelem præstitisse  
in confesso est.

§. LX.



§. LX.

Sed si Serubabel sub nomine Michaelis lateat, quærat quis, unde sit varia illa denominatio? sciendum autem, tulisse ita olim gentis Judaicæ consuetudinem, ut pro factorum seu prosperorum seu adversorum serie, vel etiam aliam ob causam, nomina frequenter mutaret; & hinc, quemadmodum Daniel Belfazer, Hanania Sadrach, Misael Misach, Asaria Abednego appellati sunt, ita forte non abs re dicemus, Serubabelem, (quem & nomen Schesbazer gessisse Aben-Esra arbitratur) quoque Michaellem fuisse appellatum. Neque enim hoc nomen Judæis ignotum, sed admodum familiare erat, jam a Mosis ætate principibus inprimis impositum. Sane in tribu Juda erat Michael, filius regis Josaphat, 2. Chron. 21, 2. In tribu Gad celebris est Michael 1. Chron. 6, 13. 14. In tribu Levi, Michael proavus Asaphi, in clyti in aula Davidis Musici, 1. Chron. 7, 40. In tribu Isaschar, princeps Michael 1. Chron. 8, 3. 28. 18. In tribu Benjamin Michael 1. Chron. 9, 16. In tribu Manasse, princeps Michael 1. Cron. 13 20. 21. In tribu Affer, princeps Michael Num. 13 14. Memorat quoque Esra Cap. 8, 8. Michaelis filium, Sebadiam, e domo Sephatizæ cum sua familia octoginta capitum masculorum, in comitatu Esdræ, e Babylonia Hierosolymam commigrasse. Ex quacunque tribu & ille fuerit, sufficit & hoc exemplo constare in ipsa Babylonia inter Judæos existisse Michaelles, viros summos, principali auctoritate præditos. (a)

§. LXI.

Nec obstat, quod Michael ille a Juda salutetur

*δεξιῶν*

(a) vid. Ven. Domini von der Hardt Programma festo Michaelis publicatum, in quo hæc pluribus exposuit.



δεχάγγελος. Namque & hoc Serubabeli optime convenit. Quid enim vox illa significat? certe nihil aliud proprie, nisi primarium legatum. Enimvero uti δεχάποιμην præcipuum pastorem, ἡγεμενός summum sacerdotem, sic quoque δεχάγγελος principem legatum denotet necesse est, a qua vocis proprietate cur hic recedamus, urgentem nondum videmus rationem. Et talis vere fuit Serubabel, nempe primarius Dei Cyriq; ad promovendam Hierosolymæ cultusque sacri restaurationem missus legatus, quemadmodum ex Esdræ & Nehemiæ historia constat. §. LXII.

Sed è diverticulo in viam. Hoc volebamus probare perperam ad locum ex epist. Judæ cit. provocari ab iis, qui Mosen angelorum ministerio tumulatū, ac post ejus fata certamen super defuncti corpore inter angelum & Satanam vere fuisse ortum credunt. Certior est, qui obitum Mosis excepit, totius populi luctus: de quo Deut. hæc habet c. 34. 8. *Et deserverunt filii Israelis Mosen in campesribus Moabitarum 30. diebus, quibus absoluti sunt dies stetus nempe luctus Mosis.* Quod Judæi more omnium morationū gentium defunctos suos luxerint, in confesso est. Non poterant enim sine lacrymis eos dimittere, quorū præsentia ipsis grata & utilis existerat. Quo majora autem cujusque erant merita, eo major fuit, quo defunctum prosequerantur, luctus. Scilicet hoc pietas, & gratus pro benefactis animus suadent ac postulant. Ac proinde à Deo ipsis Israëlitis injunctum, lugere suos. Lev. X. 13.

§ LXIII.

Uti autem duplex luctus erat, privatus & publicus, ita tempus quoq; variat Privatorum luctum a die sepulturæ per 91. dies: publicum vero p. 30. dierum spatium durasse, exempla in scripturis obvia evincunt, cui rabbi-

G

norum



norum traditiones suffragantur, ceterum pluribus ostendit  
B. Gejer de Luctu Ebr. Et hinc mirum non est, Israelitas  
Mosis, illustris sui prophetæ ac rectoris mortem acerbè  
admodum & per totos 30. dies deflevisse, præsertim cum  
tot beneficiis ab eo essent affecti. Ubi tamen observan-  
dum est, hoc non ita intelligi debere, ac si continuo ex  
omnibus singulorum Israelitarum oculis eo tempore nil  
nisi lacrymæ manaverint, sed quod tribus prioribus vel  
7. diebus fletui palam & publice indulserint, deinde  
vero repressis lacrymis certis saltem signis animi tristi-  
tiam testati sint. Et spectat huc illud R. Mosis Mai-  
monidis ex Iadchafaka (a) *Non desent (Judæi) mortuum  
ultra triduum neque plangunt ultra septiduum.*

§. LXIV.

Neque vero Israëlitaë solum extremum pietatis of-  
ficium defuncto Mofi solverunt, sed Deus ipse singulari  
encomio eum post fata sua ornavit, quando sic locu-  
tus dicitur: משה עבדני מותו *Moses servus meus mortuus  
est.* Qui honor eo major, quod a Deo ipso ei tributus.  
Quod si enim ea demum vera laus est laudari a laudatis,  
teste Cicerone; certe hoc encomium maximi erit faci-  
endum, propterea, quoniam a Deo, cujus laudibus  
nec angelicæ nedum humanæ voces sufficiunt, est pro-  
fectum. Nec hodiernum cessant appellæ Mosen multis  
evehere laudibus, prout videre est ex iis, quæ in bibliis  
Criticis in Pentateuchum notis subjuncta sunt. (b) Ex-  
hibent enim ea summam omnium titulorum Mosaico-  
rum e rabbinorum scriniis excerptam.

LXV.

Vidimus hætenus Mosen morientem, eaque quæ  
ad tumbam ejus spectant. Non incommodum hic quo-  
que fuerit pauca de ejus resurrectione addere. Sunt,  
qui

(a) C XIII. §. 10.

(b) in Deut. c. 34. p. 1377.



qui existimant, eum statim post obitum futuri resurrex-  
 xisse, uti supra diximus. Rabbinique quoque fabulantur,  
 Moſen reſuſcitatum fuiſſe ſimul cum Samuele à Pytoni-  
 ſa uti eſt in Vajikra Rabba (a) *Samuel putavit diem iſtum  
 fuiſſe diem iudicii, excitavit ergo ſecum Moſen.* Sed hæc  
 ſunt futilia. Certum interim eſt, eum eo tempore, quan-  
 do ſanctiſſimus etiam ſervator in monte Tabor trans-  
 figuratus eſt, una cum Elia in illa viſione apparuiſſe,  
 ut ex Matth. XVII. conſtat. Si apparuit, atque ab apo-  
 ſtoliſ Christi præſentibus conſpectus cognitusq; eſt, ceu  
 ibidem dicitur, reſurrexiſſe omnino cenſendus eſt, & qui-  
 dem in proprio corpore, quod olim, cum adhuc in vi-  
 vis eſſet, geſſit. Et ſane rem ita habere, omnes circum-  
 ſtantia ab evangelis memora-tæ evincunt. Matthæus  
 enim diſerte dicit *ὡφθησαν αὐτοῖς Μωϋſης καὶ Ἠλίας. Appa-  
 ruere Moſes & Elias.* Quemadmodum igitur Elias, qui  
 vivus olim curru igneo in cœlum receptus erat, in mon-  
 te vere, adeoque ſuo corpore præſens fuit, ſic quoque  
 Moſes non in aſſumta quadam ſpecie, ſed proprio  
 corpore apparuiſſe, recte ſtatuitur. Nec verosimile eſt  
 Chriſtum cum veræ ſuæ gloriæ ſpecimen demonſtrare  
 vellet, perſonatis & fictis teſtibus uſurum. Unde Mal-  
 donatus rectè infert: (b) *Rationi conſentaneum erat, ut,  
 quemadmodum Chriſtus non falſam & adumbratam, ſed veram  
 & expreſſam gloriâ oſtendebat, ſic non falſis & imaginariis  
 ſed veris confirmaretur teſtibus.* Si quis quærat, unde di-  
 ſcipuli Chriſti, in monte conſtituti apparitione facta Mo-  
 ſen & Eliam, quos antea nunquam viderant, cognoscere  
 potuerint? Reſpondebimus verbis B. Ern. Gerardi: (c)  
*Quemadmodum Adamus ex luce di-vinæ imaginis Evam, nun-  
 quam prius viſam agnoſcebat, ac beati quoq; in vita æterna ſe  
 in vicem*

(c) in diſſert. de ſepultura Moſis c. IIX. §. 3.


(a) f. 195. 3.

(b) in cap. XVII. Matth
















Jd 16 45

1/20



v. 1718

M.









Q. D. T. O. M.  
DISSERTATIO THEOLOGICA  
EXHIBENS

# MORTEM

ex Deut. c. XXXIV

QVAM

IN ILLUSTRACADE

SUB PRAES

IO. ANDREAE

ABBATIS MARIAE

SS. THEOLOGIAE D. I.

ANTIQQ. SACR. P. P. O. SVIQ.

PATRONI AC PRAECEPTO

TIS CVLTV AETERNV

PVBLICAE DISC

SVBMIT

RESPON

IO. IACOBVS

AVGVST

D. SEPT

A. O. R. S. M.

(O)

HELMES

TYPIS GEORG VVOLFGAN

ANNO

